

bellum moliri contra se, statuit illi omni ratione quamprimum occurrentum esse: atque ita à Ierusalem castra contra AEthiopes abduxit: missis tamen prius ad Ezechiam minacibus literis, quibus nihil sibi non arrogabat contra Judeos, & Deum Israel. Quas cùm Ezechias ad templum tulisset, Deum orauit, ut superbi Regis cogitata dilueret: reique Judaicae patrocinium suscipiet. Quem iterum Isaias consolatur, & confirmat à metu. Primum seuera denuncians Senacherib, quem ac si coram adesset, terribili vaticinio compungit; deinde secunda omnia pròmittens Ezechiae, ad extremum per prolepsim, quomodo deletus fuerit Assyriorum exercitus, Réxque ipse ignobilem inierit fugam, ac denique à filiis in templo sit occisus, ostendit.

CAPVT DECIMVMNONVM.

1. **Q**uæ cùm audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est facco, ingressusque est domum Domini.

2. Et misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus, opertos faccis, ad Isaiam prophetam filium Amos.

3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & incrèpationis, & blasphemie dies iste: venerunt filij vsque ad partū, & vires non habet parturiens.

4. Si fortè audiat Dominus Deus tuus vniuersa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus, ut exprobraret Deum viuentem, & argueret verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus, & fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

5. Venerunt ergo serui regis Ezechiae ad Isaiam.

6. Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis Domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me.

7. Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiēt nuncium, & reuertetur in terram suam, & deiiciam eum gladio in terra sua.

8. Reuersus est ergo Rabsaces, & inuenit regem Assyriorum expugnatum Iobnam: Audierat enim quod recessisset de Lachis.

9. Cùmque audisset de Tharaca rege AEthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est ut pugnet aduersum te: & iret contra eum, misit nuncios ad Ezechiam, dicens:

10. Hæc dicite Ezechiae regi Iuda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciā: neque dicas: Non tradetur Ierusalem in manus regis Assyriorum.

11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum vniuersis terris, quo modo vastauerūt eas: nū ergo solus poteris liberari?

12. Numquid liberauerunt dij Gentium singulos, quos vastauerunt patres mei? Gogam videlicet & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelassar?

13. Vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex ciuitatis Sepharuaim, Ana, & Aua?

14. Itaque cùm accepisset Ezechias literas de manu nunciorū, & legisset eas, ascen-

A dit in domum Domini, & expandit eas coram Domino.

15. Et orauit in conspectu eius, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ: tu fecisti cælum & terram.

16. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Senacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viuentem.

B 17. Verè Domine dissipauerunt reges Assyriorum Gentes, & terras omnium:

18. Et miserunt Deos eorum in ignem; non enim erant dij, sed opera manuū hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos.

19. Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu eius, ut sciāt omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.

20. Misit autē Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Senacherib rege Assyriorum, audiui.

21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Spreuit te, & subsannauit te C virgo filia Sion: post tergum tuum caput mouit filia Ierusalem.

22. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel.

23. Per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montiū in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius, & electas abies illius. Et ingressus sum vsque ad terminos eius, & saltum Carmeli eius.

D 24. Ego succidi. Et bibi aquas alienas, & siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.

25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, & nunc adduxi: eruntque in ruinam collū pugnantium ciuitates munitæ.

26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt & confusi sunt facti, sunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem.

27. Habitaculum tuum, & egressum tuū, & introitum tuum, & viam tuam ego præsciui, & furorem tuum contra me.

28. Insanisti in me, & superbia tua ascendiit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, & canum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.

29. Tibi autem Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno quæ sponte nascuntur: porrò in tertio anno seminate & merite: plantate vineas, & comedite fructum earum.

30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.

31. De Ierusalem quippe egredientur reliquæ, & quod saluctur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc.

32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem

A hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.

33. Per viam qua venit reuertetur: & ciuitatē hanc non ingredietur, dicit Dominus.

34. Protegámque urbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter David seruum meum.

B 35. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vedit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit,

36. Et reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Niniue.

37. Cumque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech & Sarazar filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Asaraddon filius eius pro eo.

IN CAP. XIX. LIB. IV. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. Quæ cum audiisset Ezechias Rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco.]

Sacculus in luctu.

1. **I**N dolore & luctu saccum assumi non solum inter Hebreos visitatum, sed etiā inter Gentes. De Hebreis notius est, quām ut probari debeat, & docet satis hoc loco prius Rex Ezechias, & legati, qui etiam induiti sacco ad Isaiā missi sunt. De gentibus pro omnibus sit Rex Niniue, qui & ipse induitus est sacco, & ut alij idē facerent publice edixit.

2. Vers. 2. *Ad Isaiam Prophetam filium Amos.*] Isaias Pater Isaiā c. 37. *Ad Isaiam filium Amos Prophetam.* Hieronymus apud Isaiam trāstulisse videtur Propheta. quod nomen pertinere magis putat ad Amos Isaiæ parentem, quām ad Isaiam, vbi obseruandam dicit Isaiæ modestiam, qui cūm de se scribat, Propheta nomen silet; cūm 4. Reg. 19. quando ab alio hæc eadem historia texitur, vocetur propheta, & adducit exēplum Matthæi, qui cūm de se loquitur c. 6. publicanum se nominat: alij verò Euangelistæ magis de illo honestè loquuntur. Sed quid dicendum sit de patre Isaiæ, in procēdio ostēdimus libri Isaiæ, vbi negauimus Prophetam esse Isaiæ patrem. Neque hic locus cōtrarium suadet, quia, ut habemus in Bibliis à Sixto correctis, Propheta in tertio casu est, non in secundo; quare ad Isaiam, non ad Amos referendum est.

3. Vers. 3. *Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemie.*] Hæc Hieronymus in commentariis super Isaiam optimè partitur, tribulationem accommodat populo, cui ab Assyriis graue videtur impendere infortiū, correptionem Deo; qui id agit in cūsso metu, aut inficta plaga, ut populus ad meliorem mentem redeat; blasphemiam Senacherib, qui se quiduis posse superbè iactat, atque esse à Deo frustra sperandum auxilium. quibus verbis satis elucer Regis optimi pietas. Primum, quia agnoscit quicquid malorum est, id à Deo propter peccata inflictum esse populo, ut sanet, non ut perdatur, non ut enertat, sed ut corripiat. Deinde quia tertio, id est, summo loco ponit Rabsacis blasphem-

C miām, quasi id ægrius ferat, quām aliud, quod suum est, aut populi damnum.

Venerunt filij usque ad partum, & vires non habet parturiens.] Descriptio est vehementissimi doloris, quem in Scriptura sæpe significat dolor parturiētis, aut dolor partus, & summi periculi, aut vitæ desperatæ. quod tunc proximè imminet, quando in diffīcili partu languida est, aut examinata puerpera, quæque enīt non possit, quem in utero gestat fœtum. Pro partu Hebr. est מַסְבֵּה masber, id est, ruptura, seu fractura, nēmē os vulvæ, quod cūm angustum sit, à fœtu disrupitur. Vbi sumimus dolor est, & vires tunc, & nixus maximè necessarij parturientibus: seu cerrè, quia nascente puero secundinæ rumpuntur. Eodem genere orationis usus est Ecclesiasticus c. 48. v. 21. cūm de hoc ipso tempore atque periculo ageret, tunc, inquit, mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes. Vi- Dolor parturientia. Detur hoc autem esse Hebraeorum proverbiū, quale illud Latinorum, *In acie nouacule.*

Vers. 6. *Nolit timere à facie sermonum, quos audisti.*] Ide est, à sermonibus: nam facies alicuius, id est, quod aliquis, seu aliquid. Adiungitur enim in illū usum, etiam rebus inanimatis, ut facies frigoris, facies tempestatis, pro frigore, & tempestate. vide quæ diximus ad illud Isaiæ cap. 25. v. 7. *A facie vinculi colligati.*

Vers. 7. *Ecce ego mittā ei spiritum, & audiet nunciū, & reuertetur in terram suam.*] Antequā ad Isaiā accederent legati, iam illi, ut dixit Hieronymus super Isaiam, Dominus ostenderat, quid esset Regi responsurus. Quis verò sit spiritus iste, seu nūcius, quē Dominus dicit missurum se Regi Senacherib, non est admodum explicare promptum. Hieronymus spiritū aduersarium putat, quē tamen non explicat: cui suscipiunt alij non pauci. Haymo, Dionysius, Adamus, Forerius super Isaiā in spiritu ventum intelligunt, quo insignis explicatur celeritas, quasi ocyssimè venturus sit nunciū, qui in alia loca

loca statim ab obsidione abducat Assyrios. Quod
verò spiritus sumatur pro velocitate, aut veloci nū-
tio, sentiūt è Patribus plerique, qui illud Psal. 103.
Qui facit Angelos suos spiritus, sic accipiunt, vt Deus
Angelos faciat ventos, quia celeriter omnia per-
meant: id est, ventorum similes. Lyra cōmotionem
seu perturbationem mentis esse putat. Ego duo
hīc diuersa proponi existimō: alterum in spiritu, al-
terum in nuntio, vt ipsa litera præ se fert non ob-
scure, quod vt magis explicem, aliqua prius obser-
uanda.

7. Primū vocari ex vsu Scripturæ spiritum quē-
Spiritus qui- cumque motum, impulsu, affectionē animi, co-
cumque suspcionem, metum, & similia: vt plu-
nimi motus. *B* *super eū spiritus Domini. Deinde solere Deū immissio*
spiritu, id est, aliquo affectu, aut pulsu, cogitatione
aut metu, cuius causam, aut autorē homines igno-
rant, deterrere homines, aut cōfirmare; addere, seu
adimere vires, & audaciam. De audacia atque ani-
mōitate vñus Samson exemplo nobis esse potest,
in quem toties contra Philisthæos irruit spiritus
Domini. De metu & consternatione animi plura
sunt & nobilissima exēpla. Gen. 35. consuluit Deus
incolumentati Iacob incusso multis ciuitatibus me-
tu, cūmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per
circumut ciuitates, & nō sunt ausi perseguiri recedentes.
Et Exod. 23. & Deut. 7. metu item incusso Chana-
næis ne auderet Israelitis resistere: & in obsidione
*Samariae, sonitu quasi equorum, & currū perter-
ruit Syros, & spoliatos suis ornamenti in fugam
vertit, 4. Reg. 7. Et quidem talem minatur Domi-
nus paucorē populo suo, si minus fuerit legis ob-
sequens, Leu. 26. Fugietis nemine par sequente. Hi terro-
res à profanis dicuntur panici. Huius generis plu-*

Admirabi-
lis Dei pro-
sidentia,
atque fide-
litas qua
populu ser-
uans: suū.
C *rima sunt exēpla. Sed notandum valde familiare*
quoddā exemplum, & ordinariū in populo Dei.
Nam cūm infensas haberet finitimas gentes, do-
minandi auidas, & natura pugnaces, eo tempore
quo filij Israel iuxta legem adoraturi ad templum
ascendebāt, quod faciebant ter singulis annis, eum
spiritum, seu cogitationem afflabat Dominus vi-
cinis populis, vt cūm scirent Hebræorū ciuitates
virorum nudarū esse præsidio, solūmque ibidē re-
liquum esse imbellē fœminarum sexū, numquā ta-
men cogitarint ciuitates illas bello esse tentādas.
Exod. 38. Tribus temporibus anni apparebit omne mas-
culū tuum in conspectu omnipotentis Dei Israēl: cūm e-
nim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos
tuos, nullus insidiabitur terra tua, ascendente te, & appa-
rente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Res pla-
nè admiranda, numquā magis tuta ciuitas, quād
dum illam viri religionis gratia humano præsidio
destituunt. Sic ergo puto, Deus spiritū misit timo-
ris, aut alterius affectus animo Assyriorum, quo
obsidionē laxarent, vrbēisque Ierusalem soluerēt
à periculo, & ab omni sollicitudine, ac metu. For-
tasse spiritus timoris fuit ne Rex Äthiopum, quē
*aliquid noui moliri acceperat, res turbaret Assy-
rias, aut aliquid eorum, quæ contra se plerumque*
præsumit mala conscientia.

8. Cūm autem sic esset affectus animus Senache-
rib, vt timendum esse existimaret ab omni Äthio-
pum motu, quo tēpore rem Iudaicam angustiūs
vrgebat, Deus nuntiū venire iussit, qui Äthiopum
consilia, arque conatus aperiret. An verò hic An-
gelus fuerit, an homo, quærit Abulēsis, q. 8. & me-
ritò definit Angelū non esse. Contigit autem hoc
loco Ezechiae vrbēisque Solymitanæ, quod Davidi
lib. 1. c. 23. qui cūm ita premeretur à Saul, vt nullū
appareret effugium, nuntius accurrit Philistinorū

A impressionem annuncians in Israeliticos fines, quo
interrumpere cogitata compulsus est.

Vers. 9. Cūmque audisset de Tharaca Rege Äthio- *g.*
pie, dicentes: Ecce egressus est vt pugnet aduersum te.] Duplex est Äthiopia, de qua sāpe in sacris literis: Äthiopia altera post Ägyptum, quæ eo nomine communiter ab autoribus vocatur. Altera adiuncta terræ promissæ finibus, quæ est in deserto Sinai, & in re- gione Madianitarum, à qua ipsi etiam Madianitæ dicuntur Äthiopes. Vide quæ diximus ad illud Ps. 67. Äthiopia præueniet manus eius Deo. Sed fuisse illā aliam Äthiopiam, tenent cōmuniter Patres. Docet Iosephus lib. 10. ant. c. 1. & apud eum Berou- sus, & Herodotus, vt citat Hieronymus. Postremi autem hi tres aliqua addunt, quæ non satis congruunt cum historia sacra, quæ hīc commemorare non est necesse. Porro Ägyptum & Äthiopiam coniungit Propheta c. 20. quod mihi omnino per- suadet Äthiopiam illam esse, quæ attingit Ägyptorum fines.

Vers. 21. Spreuit te, & subsannauit te, virgo filia 10.
Sion, post tergum tuum caput mouit.] Hoc est oraculū quod Isaias reddidit ab Ezechiae per legatos con- sultus. quod duas habet partes: alteram quæ fugā stragēmque Senacherib spectat: alteram, quæ libertatem salutēmque Ierusalem. More autem Pro- pheticō Ierusalem alloquitur sententia eadē bis repetita, & iterum ad Senacherib per eandem fi- guram sermonem cōuertit. Cæterū despicere, sub- sannare, & mouere caput post aliquem, aut super aliquē, idem eit: eo sensu dicitur Ps. 21. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Et Matth. 27. idem fecerunt Iudæi Christo crucifixo. Est autem motus ille capitis subsannationi accom- modatus.

C *Virgo filia Sion.] Visitata Hebræorū Phrasis, quæ 11.*
nomine filiæ ciuitatem aliquam circumscribit, vt
*filia Babylonis, filia Edom, filia Tyri, pro Tyro, Baby-
rone, Idumæa. Dicitur autem Sion virgo, non quia*
idola non coluerit, vt vult Hieronymus, Haymo, Cur aliqua
Lyra cum Glossa ordinaria super Isaiā, tum quia
reuera Idola coluit & gentilicas fordes in templū
inuexit, vt suprā vidimus sub Achaz, tum etiam,
quia regiones aliae, quæ impensè idolorum cultui
studuerunt, eodē modo filia virgines appellantur.
D Sic vocatur Babylon Isaiā c. 43. v. 6. Sidon c. 23. v.
12. Ägyptus c. 46. v. 11. dicitur autem Sion virgo,
*sive vt amplificetur iniuria Senacherib contra Ie-
rusalem, nam ea iniuria, quæ virgini infertur, gra-
uior est, quia pudori & integritati virginali maior
debetur reuerentia; sive quia diligentius puellaris*
ætas amatur, & custoditur à parentibus, significat
*Deus Ierusalem tamquam teneram & dilectā vir-
ginem, sibi futuram esse custodiæ. Sed fortasse alia*
*ratio est, eo melior, quo etiam patet ad omnia, qui-
bus illud datum est virginis nomen; quia ad illud*
*vsque tempus Ierusalem nūquam expugnata fue-
rat, neque violata ab hostibus: neque, ex quo in*
*Hebræorum potestatem venit, vim quam paſla fue-
rat alienum torum, id est, alienarum gentiū iugum*
subierat. Quam etiam ob causam existimofiliam
*etiam virginem vocari Babylonem, Sidonem, & Ä-
gyptum: quia nihil graue ad Isaiæ tempora ab ho-
ste pertulerant.*

Neque huic cogitationi admodum incommo- *12.*
dat, quod etiam post Chaldæorum direptionem REGVLA.
vocatur virgo Ierusalem Thren. 1. v. 15. Torcular Res interdū
calcanit Dominus virginis filia Iuda. & Thren. 2. v. 13. nomen ser-
uat, quod paulo ante
Cui exequabo te, & consolabor te virgo filia Sion. Nam ex vsu Scripturæ res retinere solent nomen, quod proximè habuerant. qua ratione Simon leprosus di-
citur

citut etiam postquam à lepra curatus est; & cæci dicuntur *videre*, & *ambulare* claudi, quia paulo antè cæci, & claudi fuerant. Et in hoc ipso nomine exempla sunt, tum apud sacros, tum apud profanos scriptores. Virgil. ecloga 6. de Pasiphae.

Ah virgo infelix, que te dementia cepit.

Et Terentius in Andria de puella nuper violata, *virgo illacrumat*. IoeI cap. 1. *Plange quasi virgo accincta sacer super virum pubertatis tuae*. Eodem igitur modo Chaldæorum armis subacta Ierusalem *virgo* dicitur, quia paulo antè metaphorico sensu *virgo* erat.

13. Vers. 22. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? &c. contra sanctum Israel.*] Hæc iam spectant ad Senacherib, qui Deum Israel contempserat, quasi non posset populum Iudaicum ab Assyriorum manu liberare, cui Deus ostendit quantum sibi sit virium ad expugnandam humanam potētiam, & quā amanter olim, & liberaliter populum, cui Senacherib extrema omnia minabatur, prosecutus sit. Ac si dicat: nescis, ô Senacherib, quis sit sanctus Israel, aduersus quem audaces, & temerarios spiritus assumpisti; ille est qui fecit hæc, atque illa, quæ statim referuntur.

14. Vers. 23. *Per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino.*] Hebraica phras̄ idem valet quod *per seruos*; sicut etiam *in manu*, vt habet Isaías cap. 37. Serui autem illi fuere Rabsaces, & Tharthan, de quibus suprà, ex quo non difficile colligitur, verba omnia, quæ proximè dicta sunt à Rabsace, prædicta, atque prescripta fuisse à Senacherib: quorū non autor, sed interpres & nuncius Rabsaces fuit.

15. *Et dixisti: In multitudine curruum meorum, ascendi excelsa montium.*] Hæc verba sunt Senacherib, quibus sibi nihil non arrogabat, cætera aperta sunt. Hoc verò de ascensu montium paulo obscurius. Placet quod putat Abul. q. 15. loca ardua, quæ tantum equitibus essent peruia, sic esse complanata, atque aperta deieictis scopulorum obstaculis, & succisis arboribus, vt quadrigis, quæ non nisi per plana, atque aperta loca, trahi possunt, commodus & expeditus esset accessus. Quæ loca aperuit etiam postea Vespasianus, cùm per easdem Libani fauces exercitum traduceret, vt docuit Iosephus lib. 3. belli c. 5. & nos pluribus ostendimus ad illud Zachiæ 11. *Aperi, Libane, portastus.* quod in Alpibus quoque tentauit, atque perfecit Annibal, de quo Iuuenalis Satyra 10.

— *Opposuit natura Alpēmque, niuēmque,
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.*

16. Seu certe per Synecdochem Libanus, & Carmelus pro locis sublimibus usurpati, in quorum fastigiis sitæ erant ciuitates, ad quarum oblidionē suis quoque quadrigis expeditum fuisse ascensum gloriatur Assyrius. Alij metaphorice hæc accipiūt, & in montibus principes intelligunt, & ciuitates munitas: neque displicet explicatio alia, quæ in Libano, & Carmelo Ierusalem intelligit, ad cuius fastigia se peruenisse gloriabatur Senacherib, minabaturque se excisurum cedros illius, populatrumque saltum Carmeli; id est, ablaturum quæcumque in Ierusalem speciem haberent, & pretiū. Sed placet magis explicatio prima, quam planè persuadet translatio Septuaginta, *succidi altitudinem Cedri eius, & pulcritudinem cupressi, & intrani in altitudinem partis sylue.*

17. Vers. 24. *Et bibi aquas alienas, & siccari vestigis pedum meorum omnes aquas clausas.*] Isaías c. 37. v. 25. *Omnes riuos aggerum.* Sed est omnino sensus idem. Nam aquæ alienæ, & clausæ illæ sunt, quæ Domi-

A nos habent proprios, qui suis sumptibus communis alioquin aquas extructis aggeribus, seu cisternis collegerunt. Significat ergo Senacherib à copioso exercitu siccatas esse aquas, nempe collecticias, quæ ab Israelitis in cisternis de more seruabantur. Quæ ideo vocantur alienæ, quia qui cisternam fodit, aut alio quouis modo communem aquam collegit, illius aquæ dominus est, quæ in lacum, vel cisternam influxerit. Quare filij Israhel *Aqua cura* pretio sibi aquas emebant à Chananæis, quia cisternarum aquæ non erant communes, sicut fluviorum, & fontium. *Quocirca Deus Deut. 2. sic ad filios Israhel. Cibos emeris ab eis pecunia, & comedetis:*

aquā emptam haurietis, & bibetis. & Num. 20. *Si biberimus aquas tuas, nos & pecora nostra, dabimus quod iustū est; nulla erit in pretio difficultas.* Hinc Nabal 1.

B Reg. 15. v. 11. *Tollā ergo panes meos, & aquas meas, & dabo viris, quos nescio unde sint.* Has aquas pluviales, atque cœclusas puto vocari *riños aggerum*, id est, aquas in extructo aggere collectas, vocatur autem aqua illa, *riñus*, aut quia riñus eò influxerat, & cisternas impleuerat, aut quia in angusta valle, obiecto aggere repressus, quod in locis arentibus frequens est. Cùm ergo defecissent aquæ, aut quæ in cisternis ex imbre cœclusæ, aut quæ in vallibus molis, & aggeris oppositu collectæ, aut etiam fontanæ; quia fortasse populi, ad aquas ascensurus credebatur Assyrius, capita fontium obturauerat, aut cœcisalueis aliò defluxerat; sicut fecisse dicitur Ezechias 2. Par. c. 23. *De aqua castris* alio modo prouidit. Nā cùm militib. abudaret, in locis opportunis facile effodiebat puteos, vnde aquā ad satietatem hauriret. *Quod fieri debere docet Vegetius l. 4. c. 10.* quod fecisse Cesar dicitur in bello Alexadrino, vt tradit Hirtius, ac Scipio, vt Appianus de bello Hispanico, qui eo consilio laborantem siti exercitum refecerunt.

C Si verò hic *riñi aggerum* aquam fluentē, & fontanam significant, vt putat Hieronymus, aliquid apud Isaiā additur ad ea, quæ lib. 4. Regum traduntur, neque id historicæ fidei quicquam incōmodat, cùm nihil neget, sed aliquid addat, quod ibi prætermissum est, cùm ibi tantum agatur de aqua conclusa, puta in cisternis, vt diximus, aut in angustis vallibus obiecto aggere, quæ *stagnum* cōmuniter vocatur. Neque est improbabile Assyrium exercitum vestigio suo siccasse riños, id est, vbi cūque vestigium poneret, cùm Xerxes exercitum in Græciam traducens flumina siccauerit. Sic Herodotus l. 7. Iustinus l. 2. de quo Iuuenalis Satyra 10.

— *Credimus altos*

Defecisse amnes, epotaque flumina Medo

Prandente.

D Vers. 25. *Numquid non audisti quid ab initio fecerim, ex diebus antiquis plasmaui illud, & nunc adduxi.*] Hunc locū satis expressit Isaías cùm de Senacherib cap. 10. loqueretur, vbi cùm de Senacherib similia verba non historicè, sed propheticè retulisset, addidit, *Et erit cùm impluerit Dominus cūta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructū magnifici cordis Regis Assur: & super gloria altitudinis oculorum eius: dixit enim, in fortitudine manus mea feci, &c.* Ac si dicat, ego inducam in Israëliticos fines Regem Assyriorum, vt eo tamquam flagello peruicacem populum castigem; sed vbi peruererit ille ad Ierusalē, vbi eum propter superbiā, & insaniam opprimam. Vide quæ ibi diximus, & in hanc sententiam hunc locum explicat Hieronymus & Abulensis suprà q. 18. Vatablus, & Lyra. Sic autem Hieronymus. *Nunc ignoras (ô Senacherib) quod hæc, quæ fecisti, mea feceris voluntate, & ego hac*

E *opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructū magnifici cordis Regis Assur: & super gloria altitudinis oculorum eius: dixit enim, in fortitudine manus mea feci, &c.* Ac si dicat, ego inducam in Israëliticos fines Regem Assyriorum, vt eo tamquam flagello peruicacem populum castigem; sed vbi peruererit ille ad Ierusalē, vbi eum propter superbiā, & insaniam opprimam. Vide quæ ibi diximus, & in hanc sententiam hunc locum explicat Hieronymus & Abulensis suprà q. 18. Vatablus, & Lyra. Sic autem Hieronymus. *Nunc ignoras (ô Senacherib) quod hæc, quæ fecisti, mea feceris voluntate, & ego hac*

hoc futura predixerim, ac per te facienda mandauerim. Itaque quod olim decreui, hoc impletum est tempore. Decreuit autem, aut potius praedixit cap. 10. ab illis verbis, *Assur virga furoris mei.*

- 10.** Et nunc adduxi, eruntque in ruinam collum pugnantium ciuitates munita.] Apud Isaiam cap. 37. Factum est in eradicationem collum compugnantum, & ciuitatum munitarum. Idem sensus utrobique obscurus, talem autem opinor. Id quod ante fieri decreueram, & quasi eius imaginem, & exemplar plasmaearam, ac finxeram, sicut statuariis ex argilla fingit prius formam, ad cuius similitudinem ex nobiliori materia simulacrum excendat. Sic ego quod antea finxeram cogitatione, & obscurè per meum Prophetam significaram, in hoc tempus contuli: nempe ut colles sternentes, & ciuitates subuerentes munitas, quæ contra me pugnant, id est, quæ me offendunt, quas per te quasi per flagellum corrigere decreui. Hieronymus & glossa per colles principes intelligit, qui inter se animo dissidebant hostili. Ego non incepè expositurus mihi videbat, si per colles compugnantes, & ciuitates munitas, idem significati crederem; nam ciuitates illæ munitæ plerumque in collibus sitæ erant, quas ipsa muniebat loci natura: *Compugnantes* verò dicuntur, quia facile pugnare possunt è superiori loco, & hostiles impetus non solùm sustinere, sed etiam frangere. Huc facit quod 4. Reg. pugnantes dicuntur in Bibliis à Sixto correctis, non compugnantes. Septuaginta, *Vt vastarem gentes, in munitionibus, & habitantes in ciuitatibus munitis.* Neque Senacherib, ad cuius insolentes spiritus respondent hæc verba, de aliis ciuitatibus à se expugnatis gloriabatur, nisi de his, quæ essent in montium fastigis, & quæ non nisi à præstante virtute debellati poterant. Porrò ciuitates munitas captas fuisse à Senacherib, habemus Isaiæ c. 36. v. 1. *Ascendit Senacherib Rex Assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.*

- 21.** Vers. 26. *Et qui sedent in eis, humiles manu contremuerunt.*] Apud Isaiam cap. 37. *Habituatores eorum breniata manu contremuerunt.* Reddit rationem Dominus cur ciuitatum munitarum, & pugnantium collum habitatores tam facile expugnari potuerint; quia manus breniata fuit. Quidam de Dei manu hæc accipiunt, quæ abbreviata, atque contracta fuit in populos illos, quos per Assyrios castigare decreuerat. Quare cùm Assyriorum manus confortaret, in quibus posuerat ultricem virgam, manum autem suam contraheret ab auxiliando Israëlitis, immo illorum debilitaret manus, atque dissolueret nerios, quid mirum si tam leui, ac penè nullo debellati fuerint negotio. Sed puto hæc magis esse referenda ad Iudæorum manus, quæ abbreviata, id est, contractæ dicuntur, quia parùm contra Assyriorum impressionem strenuæ. Quod mihi persuadeo, quia hoc loco, ubi eadem sunt omnino verba in textu Hebraico, sic redidit interpres: *Et qui sedent in eis, humiles manu contremuerunt.* Hebr. est קָצֵר kitzre iad, quæ ad verbum valent, breves, seu abbreviatus manus, id est, habentes manum abbreviatam. Sed quocunque referas, idem semper est sensus. Nam si Iudæi ab Assyriis expugnati sunt, & è suis sedibus pulsi, si manus habuerunt dissolutas, & debiles, ideo accidit, quia Deus illis virtutem, & audaciam ad resistendum negavit, quam ad obsidionem usque Ierusalé Assyriis suę indignationis administris copiosā impertitus est.

- 22.** *Facti sunt velut fænum agri, & vires herba tectorum.*] Hac similitudine satis explicatur hominum infirmitas, quos diuinus deserit favor, quia herbæ istæ dum immaturæ sunt, & virides, facile vel à sole exuruntur, vel marcescent à gelu, vel calcatae pedibus, vel à pecore carptæ deflorescent, & pereunt. Quare Deus dum hominum imbecillitatem extenuat, his utitur

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

A similitudinibus Isai. c. 40. *Omnis caro fænum.* Vide ibi plura. Psal. 89. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere induret, & arescat.* Pro re morali obserua ciuitatum munitiones, & colles præaltos, & pugnaces, si Deus offensus sit, manumque ab auxiliando contrahat, verti in fœni, & herbæ tectorum futilitatem, & herbæ adhuc immaturæ mollitiem; quæ facile vruntur, & vanescunt, & in gramen paucæ, quod omnium pecorum, atque armentorum dentibus propositum est.

Vers. 27. *Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego presciui.*] Iisdem penè verbis Isaias c. 37. Per hæc tria omnia significantur, quæ fieri ab hominibus possunt. De ingressu atque exitu, quibus omnia hominum facta, atque B consilia comprehenduntur, res est adeò certa, ut penè abierit Hebreis in proverbiū. Num. 27. de Iosue, *Ad verbum eius ingredietur, & egredietur, id est, nihil faciet ex Moysè imperio.* 2. Paralip. 1. *Benedictus eris ingrediens, & egrediens:* & Psal. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum:* Hispanus, *Todo aquello en que pusares mano.* Habitatio hic aliquid addit ad superiora, idque non leue: nam præter exitum, & interitum, aliquid aliud spectatur in homine, nempe habitatio & quies, quæ longè ab ingressu, atque exitu sunt, in quibus quies nullo modo reperiatur. Ait ergo Dominus nihil sibi esse non exploratum, quod molitus fuerit Senacherib; sive cùm se ipsum, & castra aliquæ moueret extra propriam sedem; sive cùm in regno suo, aut in debellatis aliorum finibus quiesceret. Eodem loquendi genere usus est David Psal. 138. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam;* aut, *flare meum, & surgere meum.* id est, omnia opera mea. *Quod resurrectio in Psalmo,* id est, *egressus, & introitus in Isaia:* & quod ibi *sessio,* idem hic est *habitatio:* & utroque loco Hebr. est בְּשַׁיָּהָב, quod *flare atque sedere* valet.

C Vers. 28. *Ponam itaque circulum in naribus tuis, & canum in labiis tuis.*] Dignum sane supplicium insolenti animi, ut qui se supra homines esse putat, ad muti, atque ignobilis bruti similitudinem abiiciatur. Adduxerat Dominus Senacherib, iuxta ea, quæ supradicta sunt à nobis, in terrâ Israël cum instructu regio gloriosè triumphantem; nunc verò idem, qui adduxerat, aut potius triumphantis in modū traduxerat Deus, minatur eundem à se reductum iri ignobilem, abiectum, non solùm ornamenti, sed etiam castis nudatum, in terram unde venerat, non secùs ac bubalus ad aratrum trahitur affixo naribus æneo circulo, ut ferebat illius ætatis, atque regionis consuetudo, aut ad sarcinas asinus, aut mulus inserto hamo.

D Hic ego aliquid magis occultum videor odorari, 25. quod curioso lectori indicabo breuiter potius, quam Supplicium persuadebo. Obiectum nuper fuerat Assyrio, quod attemporat subsannasset virginem filiam Sion: Subsannatio verò fit, aut distorto ore, & exerta lingua instar canis, & naso rugato, & adunco. De lingua atque ore Persius Satyr. 1. ubi cùm ageret de sannarium generibus, ait, *Nec lingua quantum sifiat canis Appula.*

E De naso rugato, atque adunco, nihil est, quod dicam, Nasus pro irrisione. cùm iam nasus proverbiali specie pro irrisione sumatur, & nemo nesciat quid sit apud poëtas, *naso quemquam suspendere.* In subsannatione verò illa superbita Regis verisimile est cùm moueret caput, quod paulo ante fecisse dicitur, vibrasse quoque nasi contumeliosè, & os distortisse, ac linguam exeruisse petulanter. Punit ergo Dominus sannas illas supplicio maximè ad Regis contumeliam attemperato: naso enim infiget hamum, seu circulum; ori verò stratum iniicit, ne pars quæ Assyriæ arrogantiæ serinaret, maneret impunita.

F *Et reducam te in viam per quam venisti.*] Proverbia-

26. XXX lis

Proverbii,
Reducere
aliquem in
viam; per
quam ve-
nit.

lis species appetet in his verbis, qua significatur irritus alicuius conatus, qui tam est longe, ut quicquam promoueat, ut potius retrè redeat male mulctatus. Idē statim repetitur v. 33. In via, qua venit, per eam revertetur. Simili adagio vtitur Hispanus, qui cū significat aliquē re infecta rediisse, ait, voluose por do vino.

Vers. 29. Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum, comedete hoc anno quæ repereris; in secundo autem anno, quæ sponte nascentur: porro in tertio anno seminate, & metite.] Apud Isai. c. 37. paulò aliter. Comede hoc anno, quæ sponte nascentur, & in anno secundo pomis vescere; in anno autem tertio seminate, & metite. De duorum locorum conciliatione statim, nunc primū de translatione quæ est apud Isai. c. 37. conuertit Propheta sermonem ad Ezechiam, tempusque definit, quo ad antiquā tranquillitatē populus reuersurus sit, id est, post duos annos, ut Hieron. & alij censem. Est autē verisimile Regem Assyrium obseditisse regiones proximas Ierusalem, in eiisque agros excursiones fecisse prædandi gratia, & arborum fructus, si qui erant esui non immaturi, decerpisse eo tēpore, quo adhuc messis erat in herba, soluisseque obsidionē repentina nuntio de Aethiopium aduentu, conculeatis iam frugibus: ita ut nulli, aut exigui prouentus ex eo satu sperari potuerint. Ait igitur Dominus ut eo anno Solymitani comedant, quod in agro reliquū fuerit ē frugibus ab Assyriorum strage. Hoc verò sponte nasci dicitur, et si prius à Iudeis seminatū, quia perinde id habebatur post Assyriū appulsum, ac si nihil eo anno factum esset sementis. Nam quod hostes, aut latrones non abstulerunt, in beneficio ponimus, perinde atque si sponte, nullo nostro labore, ac merito nobis esset oblatum. Deinde quia redditus erat Senacherib anno sequenti ab expeditione Aethiopica, & populatus quidquid satum esset à ciuibus, monet ut eo anno sementis fiat, sed vescantur pomis. Cùm autē anno eodem extingueda sit Assyriorum potentia, neque ab illis deinceps aliquid inferendum mali: iubet, ut deinde alacres, & securi seminent, terræque prouentibus quam velint copiosè, & sine metu fruantur.

28. Hæc iuxta translationem, quam apud Isaiam adhibuit Hier. quam sumpsit ex Symmacho. Septuaginta aliter vertunt. Comede hoc anno quæ non seminasti, & anno secundo reliquias, tertio verò seminantes metite. Quæ versionem non improbat Hieronymus, iuxta quam hic est sensus. Hoc anno comede, quod ex superioris anni prouentu reconditū est: secundo anno, quæ ultra terra fundit: tertio verò iam hōste, metuque sublato, seminare & plantare tutò licebit. quam explicationē sequitur Vatablus: & in sua translatione indicat Foreirus, imò & Hieronymo non displicet hoc in loco, quæ nunc commentatore illustrare contendimus, cuius translatio, quam nuper adduximus, in hunc sensum non difficile trahitur. Et quidem Hebraicus textus utroque loco idem est, vna tantum voce paululū immutata: sed in translationibus nonnulla diuersitas, non tamē illatum diuersa sententia. Nam apud Isaiam c. 37. est, Comede hoc anno quæ sponte nascentur, & in anno secundo pomis vescere. At hoc loco, comede hoc anno, quæ repereris, secundo autē anno, quæ sponte nascentur. Hæc igitur, quæ videntur esse diuersa, nos inter se componere, & conciliare tentemus.

29. Pro his quæ sponte nascentur, Hebr. שְׁפָחָה sapiach, quæ vox significat id, quod sine vlla opera, aut industria hominum nascitur, seu sponte fundit terra, siue quod ex relictis anni superioris granis in agro nascitur. Sed est mihi verisimile hoc loco שְׁפָחָה sapiach esse, quod ex radicibus demessæ aut conculcatæ segetis pullulat, quod Hispanus vocat retōño, aut renueuos, quod mihi suadet vocis significatio, quia שְׁפָחָה sapiach, congregare est, שְׁפָחָה sapiach, id quod aggregatur.

A Aggregari verò dicitur, quod non quæsum ad labore agricolarum accedit: sed maximè id probatur ex c. 26. vers. 85. Leuit. vbi sabbatismus, id est, requies indicitur agris à Deo, ut neque שְׁפָחָה sapiach meti possit; quia iam Deus quod fatis esset in vsum duorum annorum prouiderat. pro שְׁפָחָה sapiach verò vulgatus reddidit, quæ sponte gignit humus, & iterum vers. 11. sponte in agro nascentia.

At quis credat prohibitam esse messem illorum, quæ reposita essent in horreis anno superiori, quod nonnulli censem. Hæc verò optimè vocari possunt vel sponte nascentia, ut dicitur hīc, vel quæ repereris, ut 4. Regum, quia illa quæ eo modo pullulant, ex eo quod conculcatum, aut excussum, aut demessum est, sine vlla agricultura noua industria reperta casu, aut oblata gratis videri possunt. Hoc autem loco credo, sponte nata dici, quæ ex radicibus conculcatæ segetis erumpunt,

non quæ ex relictis granis orta, ut putabat S. Thomas & Lyra; nam si plena iam erant, & matura grana, qualia in messe sunt, nihil ex illis nasci poterat, quod vñsi esse posset in illum primum annum, quia in aestate, in qua messis frumentaria plerumque fit, & plenæ sunt spicæ, & grana matura, non potest renascentibus frugibus maturitas esse tempestiu in illum annum. Secus est si segetis, modò sit in herba, radix maneat, quounque enim tempore, si adsit benignior cœli clementia, ex illa noui oriuntur culmi, & fructus interdum colliguntur vberes, & pleni: imò nonnumquam in solo pingui primos, atque illæsos segetum prouentus æquare solent.

C Quare confirmat Dominus Ezechiam, qui timere poterat, ne depastis ac populatis agris ab Assyrio, populus laboraret fame, & ait, satis ad vsum illius anni fore frumenti ex frugibus ex desperata messe sponte nascentibus, quod signum esse vult eorum, quæ in alios deinde annos Assyriis minatur.

D Pro eo quod hoc loco vulgatus vertit, quæ sponte nascentur, & apud Isaiam pomis vescere, Hebr. est hīc שְׁמַרְתָּם illic שְׁפָחָה sapiach, vbi facta est metathesis, seu transpositio literarum, quæ sine vlla significationis varietate in aliis quoque dictiōibus apud Hebreos reperitur. כְּשֶׁב cesh, agnus est: & altera translitterata litera כְּבֶשׂ cebes significatio manet eadem. שְׁמַלְתָּה simlah, vestis est, item שְׁמַלְתָּה silmah, quod idem omnino in hac voce שְׁפָחָה sapiach, dicendum est. Hanc vocem Rabbi Dauid, & Pagninus ex eius sententia putant significare id quod ex radice germinat. Et quidem Pagninus sic exponit: Primo anno vesceris eo, quod ex radice pullulat: secundo eo quod ex granis ortum est. Quare etiam si seminatio nulla sit, non tamē populo in duos annos frumentum deerit, quibus res frumentaria futura videbatur angustior.

E Sed puto vocem illam שְׁפָחָה sapiach aliquid significare amplius, id nempe, quod nascitur ex eo, quod eo anno satum non est, sed ex radice antiqua, aut ex labore alterius anni, qualis est arborum fructus, qui prouenit ē planta longè ante illud tempus sata, aut sine novo cultu, aut opera ex granis, aut herbarum radicibus prius relictis. Quare optimè vulgatus apud Isaiam per synedochem poma adhibuit pro his, quæ ex antiqua radice suo nutu proueniunt; 4. tamen Reg. propriè atque vniuersaliū pro his, quæ quoquomodo sponte nascentur. Quod aliis locis in variis dictiōibus fecit vulgatus, quando vox Hebraica eiusmodi est, ut totam eius latitudinem assequi nō possit vna vox Latina. Tunc enim diuersis in locis variè ab interprete redditur. Exempla sunt plurima, accipe nunc duo, vox יִרְאֵשׂ tiros, quæ id significat quod ab aliquo exprimitur, modò à vulgato per oleum, modò per vinum redditur, modò per vtrumque, ut Psal. 4. A fructu frumenti, vini & olei sui.

REGVL.
Vna vox
Hebraica
duabus ali-
quando no-
minibus ex-
primitur.

Et

Et *נְרִיפּוֹת* quod *guttatum* significat, id est, illud quod gemmis guttari initia micantibus splendet, Hieronymus Isaiae cap. 3. duobus nominibus expressit *torquibus* & *monilibus*. Sic quia vulgatus totam latitudinem vocis *סִירָשׁ* *sachis* uno non poterat, duobus nominibus Latinis expressit.

32. Antequam hinc emigro, addam quod Lyra hic censet ex sententia Rabbi Salomonis. Ait enim Assyrios conculcasse segetes, & arbores excidisse, ita ut nullus iam ex illis fructus sperari potuerit; fecisse tamen Deum, ut neque segetes essent sine spicis, neque arbores, sine pomis: Nam primo anno ex his, quae conculcatæ ac penè emortuæ segetes produxerunt, vicitianit populus: secundo anno ex pomis, quae ex arboribus ab hoste succisis prouenerunt. Quæ duo, quæ proximè expertus est Ezechias, signū esse voluit Deus eorum, quæ de libertate ciuitatis, & fuga Senacherib antè promiserat. quod sanè minus, quam sollet abs re configit hic nugator Rabbi Solomon.

33. Vers. 30. Et quodcumque reliquā fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum.] Solatur iam Ezechiam, & Solymitanos ciues alio nomine, qui mœrere, ac conturbari iure optimo poterant, cum ciuitates Iuda afflitas, spoliatas ornamenti, & orbatas ciuibus viderent. Ait ergo illos, qui de domo Iuda reliqui fuerint, vsque adeò strenuos, ac felices futuros, ut collapsa erigere, ruinosa instaurare, rem denique Iudaicam varie concussam ad antiquum splendorem renovare possint. Quod optima & prouerbiali, ut reor similitudine declarat, in qua Hebraeorum more comparationis nota prætermittitur. Erat, inquit, reliquia Ierusalē adeò felices ut crescant, robustaque non aliter, atque plantæ, quae altas radices deorsum agunt, & sublimes sursum ramos expandunt. Hæ autem plantæ cōmuniter fructuosæ sunt; & altis nixæ radicibus facile ventis & temporis iniuriis resistunt. Secùs est alius plantis, quibus horum virtutib[us] defuerit: nam si radices non agunt altas, quantumvis sursū se sublimes attollant, neque fortes sunt, neque diuturnæ, ut ex quorundam sententia docet Plinius lib. 16. c. 31. qui docent breuitate radicum arbores celerius cōserescere, quæ propter eandem causam, si vetus violentior ingruerit, facile euelluntur. contrà accedit his arboribus, quæ altis radicibus terram amplexæ sunt, ut de aſculo docet Plinius suprà, & Virgilius 2. Georgic.

— Quæ quantum vertice ad auras
Etherias, tantum radice ad tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, nec umbres
Connellunt.

Neque satis est ad felicem arborem, ut profundis nitatur radicibus, si aut parum extet à terra, ut frutex, rubus, genista, aut infimo sit caudice, ut carex, aut arundo, quæ neque speciem habent, neque commoditatem fructuum, aut materiae ad constituantem nouam, & fulciendam antiquam, & ruinosam domum. Est autem elegans descriptio plantæ nobilis, & optima metaphora, qua felix hominum successus, & optima fortuna significatur.

34. Vers. 31. De Ierusalem quippe egredientur reliquia, & quod saluetur de monte Sion.] Iam explicat quidnam sit reliquum illud, quod radices agit, & ramos extendit. Sunt autem, qui cum Ezechia fuerunt in Ierusalem, quos terruit, non tam debilitauit Senacherib, illi ergo egressi ex vrbe constituerunt, quæ ab hoste concussa fuerant, atque conuulsa aliis in locis: integraruntque ea, quibus ille bellorum motus plurimum abstulerat. Aliqui hæc ad Euangelium referunt, salutemque Gentibus per Apostolos allatam, qui ex Sion egressi omnem terram perugati sunt. Typicè fateor, at historicè sicut reliqua

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

A omnia existimo, cum aliis communiter de statu rerum Iudaicarum esse intelligenda.

Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam.] Hinc constat statim atque ex pugna Æthiopum redit Senacherib, antequam ciuitatem ob sideret, & aggeres excitaret, accidisse ab Angelo stragem illam, quæ Assyriorum vires attriuit. An verò iuxta Ierusalem, aut alio in loco clades illa contingit, docuimus ad illud Isaiae cap. 30. *Preparata est ab heri Topheth.* Vbi diximus accidisse prope Ierusalem in valle Iosaphat.

Vers. 35. *Venit Angelus Domini, & percussit in casis Assyriorum.*] Hæc acciderūt biennio, aut eo circiter, post istud vaticinium, id est, post longam illam moram, quam posuit Assyrius in subingando Ægypto, atque Æthiopia: nempe postquā vno anno comedit populus, quæ sponte nascuntur, & altero vivit autem pomis. Narrantur autem hic à Propheta, ut ostendat quemadmodū fidem habuerint, quæ praedicta sunt, sicut paulo antè cùm dixisset Dominus daturum se spiritum utique timoris Assyriis, & audiendum nuntium, statim subiecit, audiuisse nuntium de bellico Æthiopum apparatu: & ita statim auertisse exercitū à Iudea. Quo genere mortis perierint Assyrii, diximus super Isaiam cap. 10. ad illud, *sabtu gloria eius.* vide Abulens. hoc loco q. 29.

Neque hic omittendum puto hanc historiā notam esse Gentilibus, quam tamen ipsi sicut alia ple-
raque, quæ à sacris Scriptoribus accepere, suis im-
plicuerunt nūgīs, & ridiculis fabellis corruperunt.

C Narrat enim Herodotus in Euterpe ad finem, im-
pium Senacherib diuino auxilio nudatum armis in turpem fugā fuisse conuersum, sed fallitur in multis, primū in loco, quia id in Ægypto euenisse prodit, & multo magis in cladis acceptæ narratione. Nam quæ Scriptura sacra Angelo, ea Herodotus mūribus violatæ religionis vltoribus ascribit; & quæ de Ezechia narrat Isaias, ea Herodotus sacerdoti Vulcani, qui apud Ægyptios dominabatur, tribuit. Sed præstat audire ipsum Herodotum. Cūm Sena-
cherib, Arabum, Assyriorumque Rex cum magnis copiis inuasisset Ægyptum, tunc memorant sacerdotem consilij inopem in cœnaculū se contulisse, ibique apud simulacrum complorasse, quanto pati periclitaretur, eique inter lamentationem obrepisse somnum, & inter quietem visum astare Deum exhortantem nihil ipsum molestie passurū, si co-
piis Arabum obuiam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His insomniis fretum sacerdotem sumptis Ægyptiorum his, qui secum vellent, castra in Pelusio posuisse, &c. Et cūm peruenissent noctu effusam ipsi hostibus vim agrestiū murium, qui illorū tunc pharetras, tum arcus, tum scuto-
rū habenas obedierūt, ita ut postera die hostes armis exuti fugam fecerint multis amissis. Eoque Rex in templo Vul-
cani lapideus stat manu murem tenens, atque hac per li-
teras dicens: In me quis intuens pius esto. Mihi dubium non est ab verissima, & grauissima historia ortam esse hanc leuissimam, & ridiculam fabulam: quia hīc nihil fermè est, cui non in illo fabuloſo com-
mento respondeat aliquid; sed corruptum ut vides.

E *Et reuersus est Senacherib Rex Assyriū, & reman-*
dit in Ninive; cūmque adoraret in templo, &c. filij eius
percusserunt eum.] Cur filij percusserint Senacherib,
cherib à varia à variis traduntur. Lyra adducit sententiam filii occi-
Rabbi Salomonis, quam non improbat. Quod scili-
licet Senacherib timens suorum odia, qui grauiter
ferebant filios, & amicos extinctos, ut eorum pla-
caret animos, aut manus effugeret, promisit Deo
suo suorum filiorum victimam: quod cūm filij
fuissent odorati, præuerterunt parentis consilia,
ipsiisque cædem mature occupauerunt. Vide Abu-
lens. suprà q. 30. Quamdiu verò vixerit in Ninive

ab ea clade quam diuinitus accepit, non constat, sed vixisse aliquos dies non paucos, verisimile est exc. i. Tobiae, ubi traditur reuersum e Iudea vexasse vehementer Iudeos, & eorum plurimos occidisse, ita ut Tobias bonis suis spoliatus a Rege cum uxore aufugerit. Ab hac autem fuga post 40. dies Senacherib dicitur obruncatus a filii.

Cur Sena-cherib non fuerit cum aliis ab Angelo percus-sus.

39. Quærerit Abulens. suprà q. 30. cur Senacherib cum aliis multis non fuerit ab Angelo percussus prope Ierusalem; & rationes afferat varias, quas apud illum vide. Nos cum Hieronymo dicimus ideo fuisse seruatum, ut cognosceret potentiam contra quā superbè, atque impiè fuerat locutus. Addo ego ut igno-

A miniam subiret fugæ tum in suis, tum in aliorum regnis, quæ viator non multo ante lustrauerat. Quæ superbo Regi multo erat ipsa morte acerbior. Deinde sicut Pharaon extremus omnium periret, ut sui regni ploras, & primogenitorum mortem prius videret, & Sedechia nō prius effossi sunt oculi, quā filiorum cädē aspergit; sic neque Assyrio Regi vita erepta prius est, quā cädem suorum, quā regni perturbationē, & lacrymas, quā suorum motus contra se incitatos spectare contigit. Accedit quod mortem pertulit illatam a filiis; quo quid acerbius? non ergo euasit Angeli gladium, ut mortem declinaret, sed ut durius atque ignominiosius periret.

IN CAP. XX. LIB. IV. REGVM ARGVMENTVM.



VO tempore castra contra Aethiopes mouit Senacherib, reuersurus iterum ad obsidendum Hierosolymam, mortifero morbo correptus Ezechias iussus est a Propheta ut res domesticas componeret, quasi inclutabilis esset lecti ex eo morbo necessitas. Qui nuncius ita perculit grauiter regium animum, ut ad parietem conuersus, Deum supplex orauerit pro salute. Quam Dominus non solum impertitus est, sed etiam ad vitam quindecim annorum usuram adiecit: & ab Assyriorum armato furore libertatem promisit. Quoque magis agrum confirmaret animum, in eius beneficij signum, & fidem, in horologio Achaz umbra per decem lineas retro conuersa est. Eodem tempore Rex Babylonis Merodach cum graui atque mortifero Ezechiam morbo correptum, & ab illo subito recreatum audiisset, legatos misit gratulandi gratia. Quibus cum Rex quicquid in Regia gaza, atque supellecili numerari solet, ostendisset; grauiter ab Isaia reprehensus est, & tristi percussus vaticinio. Audiuit enim regias illas opes atque delicias asportandas esse Babylonem, regiamque sobolem seruili apud Babylonios ministerio fore subiiciendam. Quod durum de suo genere decretum supplex accipit Rex: Deique acceptum refert benignitati, quod vivit, & quod in diebus suis publica tranquillitas turbanda non sit.

CAP VT VIGESIMVM.

1. IN diebus illis ægrotauit Ezechias usque ad mortem: & venit ad eum Isaia filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tui: morieris enim tu, & non viues.

2. Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens:

3. Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno.

4. Et antequam egredetur Isaia medium partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens:

5. Reuertere, & dic Ezechia duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini.

6. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam urbem istam, propter me, & propter David seruum meum.

7. Dixitque Isaia: Afferte massam ficerum. Quam cum attulissent, & posuissent super hulcus eius, curatus est.

8. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?

9. Cui ait Isaia: Hoc erit signum a Domi-

B no, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut reuertatur totidem gradibus?

10. Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut reuertatur retrorsum decem gradibus.

11. Inuocauit itaque Isaia propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

12. In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset Ezechias.

13. Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

14. Venit autem Isaia propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

15. At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? ait Ezechias: Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis.

16. Dixit itaque Isaia Ezechia: Audi sermonem Domini:

17. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ considerunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quidquam, ait Dominus.

18. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

19. Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sic pax

A & veritas in diebus meis.

20. Reliqua autem sermonum Ezechiae, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam, & aqueductum, & introducerit aquas in ciuitatem, nonne haec scripta sunt in Libro sermonum dictum regum Iuda?

21. Dormiuitque Ezechias cum patribus suis, & regnauit Manasses filius eius pro eo.

IN CAPVT XX. LIB. IV. REGVM C O M M E N T A R I I.

Vers. 1. In diebus illis ægrotauit Ezechias usque ad mortem.]

I. **D**abitant hic iinterpretates quo tempore ægrotarit Ezechias, an quo tempore Senacherib grassabatur per Iudeam, vel dum bella cum Æthiopibus gereret, aut certe post cladē ab Angelo diuinitus acceptā. Quidam nondum recessisse putant Senacherib ex Iudea finibus, quia statim v. 6. dicitur: *De manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* Et hoc mihi videtur omnino dicendum, aut saltē cum primū percussus Senacherib nuncio de Æthiopū aduentu contra illos statim castra conuertit. Nam quod prius narretur strages exercitus Assyrii, parum incommo dat, quia per prolepsim claritatis gratia plurima ante suum tempus commemorari solent. Et hīc peculiari est ratio ut ostendatur impletum esse, quod à Domino fuerat prædictū. Sed probat hīc Abulens. q. 2. quia, ut liquet 4. Reg. c. 18. & 2. Paral. c. 29. regnauit Ezechias annos viginti nouē. Deinde habemus Isaiæ c. 26. venisse Senacherib in Iudeam anno decimo quarto regni Ezechiae: vixit autem Ezechias post morbum quindecim annos, ut ex hoc capite perspicuum est. Ergo necesse est, ut paulò post aduentum Senacherib, id est, decimo quarto regni sui, morbo isto laboraret Ezechias: neque enim aliter viginti nouē anni compleri, ac definiri possunt. Si ante aduentum Senacherib morbum istum ponas, id est, ante annum Ezechiae decimum quartum, minus viginti nouē annis regnasse deprehenderet Ezechias; si post deletum Senacherib (quod cēset historia Scholastica, & Iosephus lib. 10. Antiq. c. 3.) cūm cādes illa cōtigerit duobus annis post aduentū Assyriorū contra Iudeam, ut ex capite superiori planè constat, si illos addas quatuordecim, quos ante illū aduentum in regno peregerat Ezechias, erūt sexdecim, ante quindecim alios, quos solitus īā morbo vixit Ezechias: atque ideo vnum, & tringinta annos dicetur regnasse, contrā quām docet Scriptura, quæ regnū Ezechiae viginti nouem annis definit.

2. De morbi genere diuinant auctores. Vide Abulens. hīc q. 3. nobis satis est morbum fuisse lethalem, cur immisus à Deo, non constat: Hieron. putat ideo illo lethali morbo fuisse percussum, ne gloriose rerū euentu insolesceret. Quem sequuntur alij. quod mihi videtur verisimile, modò ne hoc accidisse dicatur post deletos Assyrios, sed præmissum esse morbum ne postea tam illustri atque inopinata victoria Regis animus intumesceret. Res enim secundæ sanctorum etiā hominum animos immoderatiū efficerunt, quod statim atque à morbo conualuit, passus est Ezechias, ut capite sequenti videbimus, & aperte dicitur lib. 2.

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

B Paralip. cap. 33. Sed non iuxta beneficia, que accep erat retribuit, quia eleatum est cor eius.

Morieris enim tu, & non viues.] Solet Scriptura 3.

significare id esse furorum, quod rerū natura fert ut fiat, etiam si Deus naturæ vim, & efficaciam impediturus sit. Exempla plura adduximus Acto. c. 23. n. 15. nunc accipe quoddā rei proposita valde accommodatum. 4. Reg. 8. rogatus Elisaeus à Benadad Rege Syriæ an ex infirmitate esset euasurus, respōdit, *Sanaberis;* porro ostendit mibi Dominus, quia morte morieris. Leuandum à morbo dicit, quia morbus non erat ita grauis, ut illum extingueret. Quasi diceret: Quod ad vim morbi attinet, illum non esse peritum, peritum tamen alio mortis genere, nempe vi extrinsecus allata, quam intulit idem Azael, à quo consultus est idem Elisaeus, qui Dominum Benadad in lectulo decubentem oppressit. Sic ergo periturus erat morbo ingraue scente Ezechias: neque enim medicina erat nulla, quæ vim mortiferæ qualitatis frangeret: illum tamen Deus à morbo, cui impar esset omnis medicorum industria, aut medicinarum facultas, sanitati restituit. Porrò vistatum est in Scriptura, ut cūm aliquid verē, ac seriō affirmamus, id aliis, atque aliis verbis explicemus, & plerumque adhibita negatione contrarij. Ioannes c. 1. de Baptista, *confessus est, & non negavit.* Sic Ezechielis c. 18. vers. 21. & 28. *Vita viuet, & non morietur.* Deut. 28. vers. 13. *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter, & similia passim.* Sic hoc loco, ut maior concilietur fides oraculo, easdem minas iterat Isaias cum negatione contrarij, *Morieris, & non viues.*

C D E Vers. 2. *Qui conuertit faciem suam ad parietem, & oravit.*] Parietem quidam esse putant regij cubiculi, ne lachrymantem viderent illi, qui assidebant ægrotanti. Aut quia viro forti lachrymari turpe existimabatur, aut quia lachrymis, quibus cerrare cum Deo constituerat, spectantium oculi parum videbantur opportuni. Alij conuersum esse credunt ad parietem templi, ut qua ratione tunc posset, in templo videretur orare. Quod in Babylone faciebat quotidie Daniel c. 6. qui aperi tis fenestrī orabat contra Ierusalem. cogitet quisque ut volet, mihi nihil est certum.

Vers. 4. *Et antequam egredieretur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens, &c.*] Hinc apparet quantam habuerint vim lachrymæ, & preces Ezechiae, & quām Dei animus mollis sit, & ad miserendum pronus, quem tam citò ad misericordiam inflētunt miserorum gemitus; neque verò exiguum fuit,

aut lentum Domini beneficium: nam tertio ab illa promissione die templum adiit robustus, & vegetus Ezechias, & quindecim annorum insuper vslaram concessit.

6. Vers. 7. *Afferte massam ficorum.*] An ea fuerit morbi natura vt ficuum cataplasmate leniri curarique potuerit, vel cui potius fucus adhibitæ nocerent, vt magis appareret Dei potentia, qui rebus interdum noxiis atque contrariis medicinam facit, nihil est certum: sanè Elias lib. 3. c. 18. vt constaret sacrificium inflammati diuinitus, illud aqua abundantanter respersit, quæ ignem non aduocat, aut fouet, sed potius extinguit. Helisæus vt aquas amaras, & steriles dulces redderet, atque potabiles, salem in illas misit lib. 4. Reg. c. 2. cùm tamen sal sterilitatem, & amaritatem inducat. De vtroque sunt qui cogitent, sed omnes, vt opinor, diuinant: neque ego hîc diuinare volo, aut in aliena materia immorari diutius. Hoc medicorum est opus. Vide Vallesium in sacra Philosophia c. 39. vbi hac de re latè. Ego non dubito hîc aliquid supra naturæ medicinæque vires accidisse, vt enim aliquid ad sanitatem ficuum cataplasma contulerit, at tridui spatio moribundum hominem ita confirmare, vt templum obire sine vlo valerudinis incommodo potuerit, aliquid supra physicam facultatem intercessisse probat.

7. Vers. 11. *Inuocauitque Isaïas Prophetæ Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descendebat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.*] Non petierat Ezechias signum reuocandæ salutis, imò & vitæ quam iam amisisse videbatur, & accessionis quindecim annorum ad transactam ætatem, & tamen offert liberaliter Deus. Imò, sicut fecerat Isaï. c. 7. eius parenti Achaz, optionem dat, malitne vt umbra ascendat decein lineas, an vt totidem gradus redeat retrorsum. Elegit hoc posterius, quia natura sua difficilior, atque ideo naturâ suâ certius promissorū pignus.

8. Hîc longa quæstio est inter auctores, an sol retrorsum redierit decem horas, seu cùm incepturn teneret cursum, umbra tamen in horologio contra suam naturam retrò verteretur, cùm contrâ progreedi debuisse: ita vt non in sole, sed in umbra factum fuerit miraculum. Sunt qui putent sole non stetisse solum, vt tempore Iosue, sed repetito spatio, quod iam fuerat emensus, decem lineas, id est, decem horas retrorsum redisse. Quare cùm sol in regressu decem horas, & totidem in progressu consumperit, sequitur diem illum fuisse solito longiorem 20. horis. Quòd si iam sol erat occasui proximus, quia iā decem horarum spatium confecerat, quod rursus remetendum repetito circulo, ita vt ad duodecimam horam duæ superessent, quod necessariò videtur esse dicendum: fit diem illum horas habuisse triginta duas. & ita putat August. lib. 2. cap. 48. de mirabilibus Scripturæ: & Dionysius epistola ad Polycarpum, & Glicas ex sententia Hippolyti 2. parte Annalium. Quare dies ille ferme triplicatus est.

9. Alij brevissimo tempore factam esse putant mutationem illam, ita tamen vt obseruari commode potuerit in horologio Achaz reuocata decem gradibus umbra. Quod fieri potuit maiori Solis incitatione: neque enim necesse fuit, vt ordine ac mora solita sol in spatio cuiusvis gradus lustrando horam vnam consumeret. Ita Caietanus hîc, Procopius super Isajam, & alijs plures, cuius ratio non levius est, quia Deus optionem dedit Ezechia, vtrū mallet, vel in horologio Achaz

A vmbram decem lineas descendere, aut ascendere totidem: quòd si more solito descensuræ essent vmbrae, consumpta hora in singulis spatiis, nullum esset miraculum, esset autem magnum si brevissimo tempore umbra illas lustraret lineas, notaréque, quas nonnisi longo percurrere consueisset. Idem ergo promisit in ascensiū quod promisisse in descensiū videbatur. Idem sentiunt quidam Hebræorum. Neque huic sententiae, inquit Caietanus, obstat quod etiam in progressu magnum esset miraculum, neque esset cur Ezechias magis eligeret regressum, quia in progressu motus ille umbrae naturalis erat, quod ad rem, etiam si quo ad modum esset miraculosus: at in regressu non solum modus ipse, sed etiam motus fieri non poterat sine magno miraculo.

Alij putant diem illum decem tantum horis 10. fuisse longiorem, quia lineæ in horologio illo Achaz spatium diei non horis, sed semihoris distinguébant. Et in his est Abul. suprà, quod graui, meo iudicio, ratione confirmat. Nam cùm Deus optionem dedit Ezechia, vt eligeret, vtrum malleat, aut umbra progreedi, aut eandem regredi decem lineis, sine dubio illa erat descriptio horologij, & ille Solis aspectus, ac situs, vt vtrumque fieri, & spectari posset ab Ezechia. Quare sol vt minimum decem post se lineas ad ortum, & totidem ante se ad occasum relinquebat: at dies in eo climate numquam augeri potest ad viginti horas. Quare necesse est vt per breviores notas & intervalia distinguerentur dierum spatia, puta per semilles, aut quadrantes. Et hæc sententia omnino mihi placet: si fateamur solem reuocato curriculo ad ortum retrogressum.

Aliis visum est nullo modo solem retrò fuisse 11. conuersum, sed cùm institutum teneret cursum, umbra tamē ab eo sic esse projectam, vt decem lineis erraret ab eo spatio, quod iuxta Solis aspectum, ac situm notare debuisset. Quemadmodum in horologis nostris sœpe fit, vt manus, siue index aliam indicet, horologia vero, præsertim rotata, aliam horâ sonent. Ita censent aliqui ex Hebræis. Burgens. in 4. lib. Reg. Vatablus, Arias Montanus super Haiam, & in hanc magis inclinat Emanuel Sa. Probat multis Burgensis, neque rationibus, meo iudicio, adeò infirmis, sicut nonnullis visæ sunt, qui in illam sententiam durius sunt animati. Quæ quia mihi videtur non improbabilis, paulò accuratiū tractanda est: & quidem esse non difficile multa persuadent.

Primo, quia cùm hoc esset maximum signo- 12. rum omnium, quæ facta sunt in celo, quia maius Probabile est solem retrò esse conuersum tot lineas, quām est in vmbra tamen non in sole fuisse obscuratum, de illo cursu retroacto Solis factam esse nihil dicitur; sed tantum de umbra retrorsum mutationem. versus acta, idque tantum in horologio Achaz. Quod argumentum mihi graue est, quia non videtur id omittendum fuisse in eo miraculo, quod erat illustrius.

Secundò, quia signum oblatum non fuit de 13. motu Solis, siue antrosum, siue retrorsum. Vt enim signum esset nullum, si sol suo naturali circulo progrederetur decem lineas; consequens est, vt non oblatum fuerit signum retrogradationis Solis, quia illa duo, quæ proposita sunt Ezechia, contraria sunt, quorum eadem esse debet ratio. sic enim hoc loco, Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut reuertatur totidem gradibus? Quòd si progressus Solis ad confirmandam spem Ezechia esset inutilis, sequitur neque regresu fuisse progressum

Varia sententia de umbra in horologio Achaz.

missum. Perinde enim esset, ac si dixisset Deus, A vīne ut sol progrediatur, an ut regrediatur.

Tertiò, quia signum illud non videtur in sole, aut in cœlo factum, quia lib. 2.c. 3. Paral. dicuntur legati Babylonis venisse ad Ezechiam, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram: Intelligitur autem terra Iuda, vulgato Scripturæ more, quæ nomine terræ, aut orbis significat prouinciam illam, de qua sermo est, etiam si signum addatur vniuersale; si verò in sole facta fuisset aliqua mutatio, facta fuisset utique in cœlo, non super terram.

15. Quarò, quia si in sole fuisset illa tanta mutatio, non magis illam experiretur Iudæa, quām alia orbis plagæ, neque sciscitatum de portento mitterentur ad Ezechiam Babylonij legati. Quid enim rogarent, aut aliorum testimonio nosse vellent, quod suis ipsis spectauissent oculis? aut quid suspicarentur propter vius hominis recuperatam valerudinem, tantam futuram in cœlo mutationem; aut quid crederent homines à religione alieni, quique diis suis plus tribuebant potentiaz, quām vero Deo, quem colebant Iudæi, à Iudæorum Deo, & non à suis aut aliarum gentium diis illud accidisse prodigium? Audierant autem ex grati morbo conualuisse Regem, idque significatum esse illustri portento, atque ideo legati mittuntur, qui de valetudine gratulentur, & de portento quod de rumore tantum acceperant; sicut etiam sanatum esse Regem à lethali morbo, quod increduli audierant, docerentur: quod ideo sibi persuadere poterat accidisse propter Regem, quia in eius tantum vrbe, aut potius in eius tantum domo, atque adeò in uno tantum horologio contigisset.

16. Quintò, quia illud signum promittendum erat Regi, quod eius oculis propositum esse posset, quando vni Regi promissum est. Quare satis illi fuit aliter notatas esse lineas ab umbra, quām ratio temporis postularet, in eo horologio quod ex suo lecto commodè spectare poterat moribundus Rex: neque verò ex suo lecto retrogradientem solem spectare, aut moram obseruare poterat.

17. Neque illa quæ contra hanc sententiam obiciunt alii, grauiter premunt. Primum quòd non appetit quomodo, si sol à suo cursu nihil mutaret, in umbra, quæ Solis sequitur motum, tanta fiat mutatio, ut cum decimam horam, id est, penè postremam in horologio tangere deberet, reuocato cursu Orientem versus ad primam usque recurreret. Nam is, cuius ordinatione regitur, & perseverat dies, sic potuit temperare lucem, ut impeditis solaribus radiis stylus horologij ab ea tantum parte lucem admitteret, ex qua umbra in lineas à Propheta designatas incurreret. Ad eum fermè modum, quo oriente sole per fenestram, quæ ad Occasum spectat, immissa lux umbram proiicit aduersus solem orientem, à quo lux illa quasi reflexa nascitur.

18. Quod verò in hoc portento aliquando sol ascendisse, aut descendisse dicitur, apud Isaiam, reuersus est sol decem lineas. Et Eccl. 48. Et in diebus illis retro redit sol, & addidit Regi vitam. non omnino in aliam sententiam nos cogit, nam frequēs est in Scriptura, ut causa ponatur pro effectu, quod semper aut plerumque ex huiusmodi causa nasci solet. Et, ut alia omittam, de sole sunt exempla non obscura Iona 3. Percussit sol super caput Iona, & astubabat, id est, radius, seu calor Solis. Et quidem in hoc eodem portento solem figurat

positum pro signo, nemo inficiabitur, dicitur enim sol Eccl. 48. Regi addidisse vitam, cum tamen illum non addiderit, ut constat, sed illius producenda signum tantum fuerit. Figuratè ergo immotus sol reuersus dici potest, quia radius eius, siue lux reuersa est, seu reflexa: siue etiam umbra, quia illa etiam effectus quidam est solis, illum saltem ostendens, ceteris locis splendore circumfusis. Aut certè sol reuersus dicitur, quia in umbra reuersa signum quoddam fuit Solis retrò conuersi, quia communiter umbrae mutatione varia signum est, variae mutationis seu declinationis Solis; sicut sol, ut nuper dicebamus, vitam addidisse traditur Regi, quia additæ Regi vita signum fuit.

B Hæc postrema mihi videntur dici posse non 19. improbabiliter, quæ ego complecterer omnino, nisi constans penè omnium Patrum, & interpretum autoritas ab hac cogitatione deterruisset. Ut enim durum est niti contra imperium fluminis, sic contra doctorum communem sensum. Quare licet hæc non improbat, cum pluribus censeo esse sentendum, remque tribus conclusiōnibus ita definiō.

Probabilis
est retro se-
lam esse con-
versum.

Prima est, sole ex suo cursu orientem versus 20. reuocato umbra in horologio decem repetiisse lineas: ita August. de mirabilibus Scripturæ lib. 2.c. 48. Dionysius epist. ad Polycarpum. Theodoretus in illud Psalm. 29. Audiuimus Dominus, & misericordia est mei. Hieronymus, Cyrus, Procopius, Lyra, Haymo, Hugo, Adamus super Isaiam, Elias Cretensis super Nazianzenum, & recentiores plerique; & in his Serarius in Iosue. Neque deest aliquod admiranda huius nouitatis vestigium apud profanos: Nam Herodotus in Euterpe paulò postquam egerat de fuga Senacherib, licet aliud spectans longè diuersum, ait: Intra decem millia, trecentosque & quadraginta annos, quater solem preter consuetudinem fuisse exortum: bis quidem illic exortum, ubi nunc occidit, bis autem ubi nunc oritur, illic occidisse. Quod sane factum videri potuit, si sol à decima, id est, à postrema ferè hora diei reuocatus est ad ortum: tūc enim oriri ab Occasu, & in Ortu occidere videri potuit. Sed, ut verum fatear, si locus iste diligenter expendatur, non valde est ad rem propositam. Facit præterea plurimum ad hanc sententiam, quod tam hīc, quām Eccl. 48. sol conuersus fuisse retrò traditur, & quando grauis aliqua ratio non premit, verba in sua proprietate sunt exponenda.

Secunda conclusio, si lineæ in horologio per 21. horas, & non per semisses, aut quadrantes distinguebant diem, probabile est non solito motu solem, sed velociori spatium illud horarum decuruisse, quod sentit supra & probat Caietanus.

Tertia conclusio, mihi omnino certum est per 22. semisses aut quadrantes, aut aliam breviorem mensuram notari ac distinguere dierum spatia in horologio Achaz, non per horas. Quod omnino probat ratio Abulensis, de qua supra. Nam si decem horas ter decurrisset sol, quod erat omnino necesse, & addantur deinde duæ, quæ ad duodecimam supersunt, necessariò fit, ut dies ille fuerit triginta duarum horarum, quod aliqui farentur, ut vidimus. Tunc autem dies ille maior esset eo, qui stante sole effectus est tempore Iosue. Hic enim ad trium ferme dierum spatium productus est; ille verò sub Iosue ad duorum tantum; & tamen neque fuisse umquam, neque futurus dicitur maior aliquis dies. De altero constat Iosue 10. Stetit itaque sol in medio celi, & non festinavit oc-

cumbe *spatio unius diei*. Et Ecel. 46. de Iosue, At non in iracundia eius impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo. De altero expressum est Iosue 10. statim enim post verba citata subditur: *non fuit antea, & postea tam longa dies.*

23. Contra rationes Burgensis, quas nos adduximus, quibus etiam eandem sententiam confirmat Montanus, satis multa replicator in libro 4. Reg. & ibidem Dionysius, hos consule. Apud quos inuenies aliquid, quod in ipsis non minus seuerè reprehendas, quam ipsi virum doctissimum exagitandum, & reprehendendum censuerunt.

24. Antequam hinc discedo, obseruo præter hoc portentum, & illud, quod accidit tempore Iosue c. 10. aliquibus videri solem stetisse tertio: quod colligunt ex eo 1. Paralip. 4. vers. 22. *Qui stare fecit solem.* & in his Hieronymus lib. tradit. Hebr. in illum locum: & eodem loco Paralip. Dionysius, Hugo, & Lyra. Feuardentius in cap. 1. Ruth. Abulensi. in lib. 1. Paralip. c. 4. q. 18. & ibi Glossa ordinaria, qui dicunt ex Hebræorum sententia hūc virum fuisse Elimelec, qui Ruth c. 1. egressus esse dicitur de Bethleem, ut peregrinaretur in regione Moab. Dicunt enim Hebræorum quidam, nam aliorum longè diuersa videretur esse mens, hunc Elimelec virum fuisse sanctissimum, qui cum videret plurimos è suo genere variis erroribus ad idolatriam abduci, oravit ut Deus aliquo portento terneret homines, reduceretque ad illam religionem quam prodiderant. Ad eius autem preces constitisse aiunt solem in cœlo. Cum autem eo signo tam illustri nihilo meliores furent Bethleemites, statuisse illinc in regionem Moabitidem esse emigrandum: præsertim cum propter eorum scelera grauis fames Bethleemitos fines inuasisset. Sed sanè hoc durum visum est, neque omnes qui in eam sententiam abducuntur, tam illa vera censem, quam ab Hebræis tradita commemorant. Neque vrget locus libri Paralip. c. 4. nam, ut alibi sapissime, pro nominibus propriis ponitur illorum nominum significatio. Et id planè probant tria nomina, quæ statim sequuntur: *viri mendacij, & securus, & incendens,* quæ totidem nominum priorū explicationes, quæ Septuaginta ita vertunt, *Et Ioacim, & viri Choceba, & Joas, & Saraph.* Maximè, quia Ioacim non tam significat, *qui stare fecit solem,* quam qui confirmavit, aut stare fecit, nempe solem, quæ posterior vox in Hebræo non est.

25. **REGVL.**
Pro nomine proprio sapientia illius explicatio ponatur.
Hebræorum traditio de Elimelec.

26. **Hebræorum fabula de funere Achaz.**

Ad extremū obseruo id quod Hebræi suo more nugantur, qui dicunt quo tempore mortuus est Achaz, ne satis esset otij, ut soluerentur impij Regis funeri exequiæ solitæ aliis Regibus impendi, detractas esse illi diei decem horas; ut verò ratio temporis, quæ eo successu tardata videbatur, ad suum ordinem rediret, paulo post sub Ezechia filio additas esse diei totidem horas. Dignum planè Rabbinica fide commen-tum.

27. **Consolato-nes, & gratulations obiri solite inter Prin-cipes.**

Vers. 12. In tempore illo misit Berodach Baladan literas, & munera ad Ezechiam.] Ex hac Regis Berodach legatione, qui Isai. c. 39. Merodach, verisimile fit vſitatum olim inter Reges & principes, licet studio religionēque diuersos, colere inter seſc humanitatis officia, ſequi ipsos per nūcios consulutare, ſignificareque ſibi cum aliis in ſecundo rerum ſuccellu gaudium eſſe commune, & in aduerso communem etiam eſſe mœrem. Fecit hoc David in morte Regis Ammonitarum 2. Reg. 10. Et Thou Rex Emath per filium suum gratulatus eſt Dauidi de victoria cōtra Adarezer

A Regē Soba 2. Reg. 8. Quod vſq; adeo vſitatum, atque legitimum fuit, vt ante viet oriam consultandum dixerit Isaías, quid respondendum sit Gentium legaris, qui gratulatum venerint de victoria c. 14. *Quid respondebitur nuntiis gentium?* Sic Babylonis Rex Merodach misit cum muneribus ad Ezechiam, qui de restituta valetudine gratularentur, & vt dicitur Paralip. lib. 2. c. 3. de portento rogarent, quod videlicet contigiffet in domo regia. Est enim verisimile cum de valerudine Regis audierunt, audiisse quoque de valetudinis admirabili portento.

Hic Berodach, seu, vt eſt apud Isaiam, Merodach, vt ſomniant Hebræi, pater fuit Nabuchodonosor, eius qui primus ab Assyriis imperium traduxit ad Chaldæos, & qui deinde compleuit, quæ capite 39. minatur Isaías: sed eſt mihi hoc improbabile, quia etiā in primum annum regni Merodach incidiffet morbus Ezechiae, regnaffet in Babylone centum & nouem annos, quia tot intercedunt inter morbum Ezechiae, & annum sextum Ioachim, in quo primū regnare cœpit Nabuchodonosor; tam longum autem imperium quis credet contigisse, eo præsertim ſæculo, in quo breuior erat hominum vita. Potius ego exiftimo Berodach, seu Merodach nomen eſt commune Regibus Babylonis, ſicut Pharaonis nomen Ægyptiis, Areræ Arabibus, Candace Regnis Æthiopie, & Cæsaribus Imperatoribus Romanis commune nomen eſt. Est autem mihi probabile antiquissimum Regem Babyloniam ſic eſt vocatum, qui deinde à posteris in Deorum numerum relatus eſt. Sicut in eadem ciuitate primus, aut inter primos regnauit Belus, qui pro Deo à Babylonis habitus vocatus eſt Bel. Quod enim Merodach Deus fuerit apud Babylonios, ſicut Bel, indicat Ieremias c. 50. vers. 2. *Capta eſt Babylon, confusus eſt Bel, viſitus eſt Merodach, confusa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt idola eorum.* Vbi omnes penè Merodach idolum eſt putant, licet improbabile non videatur hoc etiam Ieremia loco Merodach nomen eſt Regis. Et ita putant Genibrardus in Chronico anno mundi 3469. Lyra, Hugo, Theodoreus; ab hoc ergo quicunque ille eſt, credo Reges Babylonis vocari ſolitos Merodach, & cap. 39. ab Iſaia, & postea, vt eſt verisimile, à Ieremia, qui idem eſt creditur qui Balthasar, cuius tempore cecidit Regina quondam Babylon. Et 4. Reg. c. 25. v. 27. Nabuchodonosori ſuccellisse dicitur Euilmerodach, id eſt, Merodach cognomento Euil. Quare dum Berodach, seu Merodach Baladan, filius Baladan, nuntios legasse dicitur, nihil aliud dici videtur quam Regem Babylonis Baladan, filium Baladan, miſiſſe legationem.

E Vers. 13. *Et offendit eis domum aromatum, & au- rum, & argentum.*] Quam diues fuerit Ezechias, quantum aurii & argenti atque aromatum congregari, habemus lib. 2. Paralip. c. 32. v. 27. vbi etiam habes derelictum fuisse Ezechiam à Domino in ea Babyloniorum legatione, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius: nota quidem aut ipſi Regi, qui non ſe ſatis ipſe cognouerat, ut vel eo titulo ſeipſum magis pura- ſapietis ani- ret vilem, & abiectum, quod aliquando ſibi ipſi ſum ea co- in ſe aut in suis opibus placuerit. Quia reuera gitatio, quod nihil ſic abiicit superbū animū, quam cogita- aliquādo ſi- bi in ſeipſo placuerit. Superbia etenim menti iam ſanx & melius ſen- tienti fuliſſima quædam vanitas eſt. Aut certè, vt nota fierent Deo, eo ſenu quo ipſe dicit ali- quid

quid tunc primum cognoscere, quia illud aliis cognoscendum præbuit, vt de Abraham Genes.c. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, id est, cognoscere feci. De quo genere orationis pluribus alibi egimus c.24.n.10.

30. *Ver.18. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.*] Eunuchi vox latius se extendit, quām putat Grammaticorum vulgus, neque enim semper emasculatos, seu exercitos significat, sed eos aliquando qui in aulis morantur Principum, ipsique adstant ad aulicas curas, & ad exequendum familiare mandatum. Erant quidem olim spadones, qui gynæcis præerant, aut quibus credita erat fœminarum custodia, quia ab illo euirato hominum genere turus videbatur fœminatum pudor. Vnde factum est, vt quicunque cum principib. familiariter ageret, diceretur Eunuchus. Hoc apud Regem Babylonis munus obierunt, qui ē regio genere, id est, ex Ezechiae sanguine prognati sunt: vt constat ex Danielis cap.1.vbi quidam ē regio sanguine traditi dicuntur Eunuchorum præfecto, vt ad Chaldæorum disciplinā instituti aulicis ministeriis redderentur idonei: inter quos fuit Daniel, qua de re nos ibi pluribus.

31. *Bonus sermo Domini, quem locutus es: si pax & veritas in diebus meis.*] Hæc Ezechias post Isaiæ minas. Iustus est Dominus, qui meæ leuitati atque arrogantiæ id inflixit supplicij, & benignus, quia diebus meis pacem promisit. In veritate igitur eius me consolabor, quia præstabit, certò scio, quod mihi pollicitus est de Senacherib. Reprehendunt, vt inquit super Isaiam Hieronymus, Hebræi Ezechiam, quod hoc responso parum visus fuerit sollicitus de populo Iudaico, futuraque sobole, quando sibi pacem & salutem optat, & quid aliis post se futurum sit, non laborat: neque confitetur peccatum suum cum David, neque iram Dei remouet à posteris, neque cum Moysè clamat, aut dimittit eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Sunt qui illud & veritas, de Messia interpretantur, quasi dicat Ezechias, feram libenter quodcumque mihi Deus supplicium infixerit, dummodo ex meo genere Messias oriatur. Quæ sanè expositio pia est: ne scio tamen quantum cum sermonis textu consentiat.

32. *Ego verbum bonum, aliter accipio, puto enim*

A *hoc loquendi genere ab inferioribus significari solere, non grauare ferri quicquid durum, à superioribus iniungatur. Quasi dicat: fiat voluntas Domini, aut quod Domino placet, aut fiat mihi secundum verbum Domini, seu accipio admittōque etiam si in caput meum, quod visum est de me Domino: quasi non prouocet ad iudicem, seu ad tempus aliud. Sic Semei cùm audiisset à Salomone 3. Reg.c.2.vers.38. Quacumque die egressus fueris, & transferis torrentem Cedron, scito te interficiendum, &c. Respondit Semei, Bonus sermo, sicut locutus est Dominus meus Rex, sic faciet seruus tuus.* Et statim vers.43, cùm Semei transgressus esset Regis edictum, ait illi Salomon, *Et dixisti, bonus sermo, quasi dicat, admisiisti meum de tuo scelere decretum. Hispanè, admitiste o pasaste por la sentencia.* Sic nunc Ezechias nihil aliud significat, quām sibi placere Domini de suo capite decretum. Idem omnino quod 1. Reg.3. dixit Heli cùm accepisset similes à Samuele minas, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Vnde frequens, *esse in oculis alicuius bonum, id est, placere.*

B *Vers.20. Reliqua autem sermonum Ezechiae, & 33. omnis fortitudo eius, &c. Nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regni Iuda?*] Hæc omnia iam vidimus hoc libro à capite 18. & lib.2. Paralip. à cap.29. & Eccl.c.48. Illud notandum in Paralip. c.32. v.32. additum esse, reliqua autem, &c. Scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos Propheta. Porro apud Isaiā præter ea, quæ in hoc libro legimus, nihil habemus aliud, quām celeberrimum illud canticum, quod gratulabundus cecinit cùm ab illo morbo liberatus est Ezechias, à quo omne iam desperarat effugium. Cætera eodem omnino modo, atque iisdem penè verbis prosecutus est, atque nos hīc habemus. Vnde quidam non sine magno fundamento putant, hanc saltē partem lib.4. Reg. ab Isaiā fuisse conscriptam. Et cùm sententia esset omnino eadem, verba aut nihil, aut certè non admodum diuersa, nolui actū ageare, id est, illa iterum explicare commentando, quæ iam antè super Isaiam explicueram. Sed ex illis commentariis, huc pleraque tamquam ad locum non alienum transcripti. Addidi tamen aliqua, quæ in illis commentariis consultò prætermiseram, quæ sanè multa non sunt. Quod meo mihi iure fecisse videor, qui non aliena depeculatus sum, sed meum laborem ad non alienos usus accommodauit.

IN CAP. XXI. LIB. IV. REGVM

ARGUMENTVM.

SUCCESSIT in regno Iude parenti pio filius Manasses usque adeò impius, vt quæ pater deleuerat nefariæ religionis sacraria, excitaret rursus, & in omnem impietatem proiectus ipse alios plurimos in eandem secum impietatem allixerit. Propter quod Deus talem Ierusalem, & Iude vastitatem minatur, qualem iam fuerat experta Samaria. Neque tantum à patria religione defecit, peregrinam amplexus Manasses: sed etiam in optimum quemque sic saeuit atrociter, vt quanta tunc erat Hierosolyma, sanguine redundaret innoxio. Mortuo Manasse successit Amon in omni impietate ac morum turpitudine patri non absimilis. Cuius immoderatum animus, & morum intemperiem, cùm illius serui, neque probarent, neque ferre possent, per insidas, cùm tantum biennium

cum potestate esset, interemerunt. Vltus est autem populus regiam cadem, & adhuc puerum Amonis filium Iosiam parentis loco in regnum extulerunt.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

1. **D**odecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Haphsiba.

2. Fecitque malum in conspectu Domini iuxta idola Gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Israel.

3. Conuersusque est, & ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Ezechias pater eius: & erexit aras Baal, & fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam.

4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ierusalem ponam nomen meum.

5. Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini.

6. Et traduxit filium suum per ignem: & ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicauit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum.

7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini: super quod locutus est Dominus ad Dauid: & ad Salomonem filium eius: In templo hoc, & in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.

8. Et vltra non faciam commoueri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opere omnia quæ præcepit eis, & vniuersam legem, quam mandauit eis seruus meus Moyses.

9. Illi verò non audierunt: sed seducti sunt à Manasse, ut facerent malum super Gentes quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel.

10. Locutusque est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum, dicens:

11. Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis:

12. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.

13. Et extendam super Ierusalem funi-

A culum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs stylum super faciem eius.

14. Dimittam verò reliquias hereditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis aduersariis suis:

15. Eo quod fecerint malum coram me, & perseuerauerint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hunc diem.

B 16. Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec implete Ierusalem usque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam, ut faceret malum coram Domino.

17. Reliqua autem sermonum Manasse, & vniuersa quæ fecit, & peccatum eius quod peccauit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda?

18. Dormiuntque Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: & regnauit Amon filius eius pro eo.

C 19. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset: duabus quoque annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Messalemeth, filia Harus de Iteba.

20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius.

21. Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius, seruiuntque immunditiis, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas.

D 22. Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulauit in via Domini.

23. Tetenderuntque ei insidias seruui, & interfecerunt regem in domo sua.

24. Percussit autem populus terræ omnes, qui coniurauerant contra regem Amon: & constituerunt sibi regem Iosiam filium eius pro eo.

25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda?

26. Sepelieruntque eum in sepulchro suo, in horto Oza: & regnauit Iosias filius eius pro eo.

IN CAPVT XXI. LIB. IV. REGVM
COMMENTARI.

Vers. I. *Duodecim annorum erat Manasses cum regnare coepisset.]*

Manasse plurima maximaque peccata. **I**c v t ex parente sceleratissimo Achaz, A Ezechias homo religiosissimus natus est, sic ex Ezechia viro sanctissimo natus est filius Manasses, quo nemo prioribus regni sui temporibus sceleratior fuit. Quicquid enim patet pius exterminarat à terra, quæ Dei iram excitauerant sçpe, & rei Iudaicæ frequens infortunium attulerant illa à parentis ingenio, ac moribus omnino degener in priorem locum & ordinem restituit. Neque meliorem, aut alium instituit viuendi modum, quam Gentes, quibus veræ religionis lumen namquā affulsi; quāsque Deus è Chananæo solo procul ablegauit. Excitauit excelsa, extrixit aras peregrinis diis, & imitatus Achab, qui Sidoniam religionem inuexit, plantauit lucos, & cœli militiam adorauit. Et, quod impietatis videri potuit culmus, in ipso templo, cuius erat summa eo tempore religio, & sanctitas, Gentilium simulacris statuit altaria; & eius generis ausus est alia, quæ Dominus fieri graui comminatione prohibuerat. Cùm illum libi locum elegisset, promisssæque stabilem in Chananæo solo possessionem, si locum illum seruarent ipsi impollutum & sanctum, & tradita per Moysen mandata custodirent: traduxit etiam per ignem filium, sicut fecerat avus eius Achaz: Pythones & aruspices multiplicauit, atque consuluit, obseruauit auguria. Neque ad hæc tam grauia præcepta attendebat Achaz, & populus vel seductus à Rege, aut illius votis obsequens nimis, aut stultè blanditus, nihil minus, quam de patria, ac vera religione cogitabat.

2. Vers. 10. *Locutus est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum.]* Erant hoc tempore Prophetæ, qui Isaiæ fuerunt coætanei, qui fuerunt non pauci. Fuit quidem Isaias, de quo suprà plurima sub Ezechia, qui sacer esse traditur Manasse, & ideo ab illo ferrâ dissectus, quod liberius in eius mores, & vita genus inuheretur.

Peccaata Manasse populo vastitatem attraherunt. 3. Vers. 11. *Quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas.]* Verba Prophetarū graue pondus importat: primùm Manasse scelera maiorem in modū exaggerant, & longè maiora fuisse dicūt his, quæ superioribus sacerulis admiserunt Amorrhæi: qui ideo regionem suam, qua nulla fuit orbe toto nobilior, amiserunt. Neque ipse aut solus, aut sibiipſi peccauit Manasse, sed etiam gentem suo subiectam imperio in eandem scelerum proluuiem induxit. Huius Regis tam in omne genus profusam intemperantiam luit gens tota, vt habes apud Ieremiam c. 15. vers. 3. *Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia terra, & bestias terre ad devorandum, & dissipandum, & dabo eos in feruorem uniuersis regnis terra propter Manassem filium Ezechie Regis Iuda super omnibus, quæ fecit in Ierusalem.* Quo verò modo ac iure Ierusalem, & subditus populus peccata luat Manasse, diximus in nostris commentariis ad hunc Ieremiæ locum.

4. Vers. 12. *Ecce ego inducam mala super Ierusalem,*

& Iudam, ut quicunque audierit tinniant amba aures eius.] Tinnire aures aliquid indicat durum, & horribile, idque Proverbiali specie, de quo pluribus à nobis actum est super lib. I. Regum ad illud cap. 3. *Ecce ego facio verbum in Israel, quod qui- cunque audierit, tinnient amba aures eius.* Inde tu expositionem pete, & ex Ieremiæ cap. 19. v. 3. vbi eadem etiam adhibentur verba.

Vers. 13. *Et extendam super Ierusalem funiculum Samaria, & pondus domus Achab.]* Qui ali-

quid non temerè, atque inconsideratè faciunt, sed prudenter, & attentè, illi rem totam diligenter explorant: atque ideo illi ad amissim, ad regulam, & normam, ad mensuram & pondus, facere dicuntur. Quæ translatio à fabris sumpta est, quibus assiduum, atque familiare instrumentum est pondus, & funiculus, id est, perpendicularum, & linea, quæ in ædificiis, quid rectum, quid sinuatum, & incurvatum fuerit, deprehendunt. Neque hæc ad molitionem solum operis, sed etiam ad demolitionem adhiberi ab architecto solent. Neque enim prudentis eset illa demoliri, quæ recta sunt, & ex arte perfecta, cùm illa firma sint, & aliquos habere possint ad hominum commoditatem usus necessarios. Sic sanè Ieremias cecinit Thren. c. 2. v. 8. *Cogitauit Dominus dissipare murum filie Sion, tetendit funiculum suum, & non auer- tit manum suam.* Et quia nihil in eo populo solidum inuenit, aut rectum, ideo nihil fuit, quod non in eo populo dissiparet ac perderet. Eodem dicendi modo usus est Isaías c. 3. 4. cùm ageret de Idumæorum excidio non dissimili. *Extendetur,* inquit, *super eam mensura, & redigetur ad nihilum, & perpendicularum ad desolationem.* Ex eadem, opinor, metaphora sumptum est illud 2. Reg. 8. *Per- cussit Moab, & mensus est funiculo coequans terræ.* Et paulo post, *Mensus autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.* Extendit Dominus sub hoc tempus funiculum super Samariam, id est, super gentem Israëlitidem, & cùm ibi nihil inueniret solidum, nihil quod in latus ad lapsum non procumberet; totum illam fabricam, id est, totum populum ita dissoluit, vt nullæ ex eo in propriis sedibus superessent reliquæ. Quia verò idem sub Manasse vitium erat in fabrica Iudæ, id est, in Iudæorum moribus, & ingenio, ideo idem Iudæ quod ante Samariæ, id est, decem tribibus minatur exitium.

Hæc mihi meditatio non displicet, sed fortassis in funiculo sors intelligitur, & æqualis mensura, quasi dicat Deus, iisdem modis & gradibus in euertenda Iudæa fore procedendum, quibus in euertenda dissipandaque Samaria. Ut enim ibi intercessit ferrum, famæ, & diræ lues, quæ ad extremum miseram illam gentem deduxerunt exitium, sic etiam ad eadem Iudæus populus pertrahetur incommoda, propter peccata Manasse. Quæ incomoda illa sunt, quæ Ieremiæ c. 15. numerantur, quæ Manasse peccatum in urbem inuexit. Sic autem Ieremias de populo, quem Manasse peccatum hostiliter urget. *Quod si du-*

*Dei, tam in
demoliendo,
quam in cō-
struendo at-
tentio, &
mensura.*

xviii

xerim ad te, quò egrediemur? dices ad eos: Hec dicit A Dominus, qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium, & qui ad farnem, ad famem, & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Hic fuit funiculus, hæc fors, & vt ita dicam, hæc dira Iudeorum necessitas. Statim porrò additur hæc esse subeunda propter Manasse peccatum.

7. Et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabula: & delens vertam & ducam crebrius stylum super faciem eius.] Sententia non obscura, obscurum tamen virde deducta translatio. His verbis planè significatur venturum aliquando tempus, cùm ex tantâ, tamque opulenta ciuitate, nihil relinquatur ab hoste Chaldaeo: quod probavit exitus. Verba Hebraica non eodem ab omnibus modo conuer-
tuntur; licet in eandem omnes sententiam con-
spirent. Septuaginta, Et extergam Ierusalem, sicut
extergetur alabastrum, quando abstergitur, & convertis-
tur super faciem suam. Chaldaeus, Sicut conterit la-
gunculam conterens, & vertens super faciem eius.
Tigurina, Detergam Ierusalem quemadmodum quis
patinam detergit, & eam vertit. Eodem penè modo
aliij omnes à Vulgato. Iuxta quas versiones hic
est sensus. Quemadmodum quis lagenam ante
plenam vino, aut alio quoquis vnguento, aut ala-
bastrum, seu pyxidem vnguentariam, aut certè
patinam, sic exterget, vt nihil omnino remaneat
eorum, quibus erant antea plena; sic ego abster-
gam Ierusalem ab omnibus, quibus affluentissi-
mè priùs abundabat, & ita exhaustam, vt nihil
præter saxa habuisse videatur. Simili Metapho-
ra vñus est Ezech. c. 26. v. 4. cùm ageret de Tyri
vastitate, Dissipabunt muros Tyri, & destruent turres
eius, & radent puluerem eius de ea, & dabo eam in
limpidissimam petram; quasi dicat vñquædeo per-
fectè vastaberis, o Tyre, vt neque è tanta mole
puluisculus supersit, vt nihil sit reliquum, præ-
ter purum saxum, in quo ciuitas olim extructa
est. Neque valde dissimilis est illa Metaphora, qua
sub hoc tempus vñus est Isaías cùm de hac ipsa
ciuitate & populo loqueretur c. 7. v. 20. vbi de
populo atque vrbe ita loquitur quasi de homine,
cuius pili à toto corpore ad cutim vñque noua-
cula raduntur. In die illa radet Dominus in nonacu-
la conducta in his qui trans flumen sunt in Rege Assy-
riorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuer-
sam.

8. Id verò quod iuxta has translationes additur, D plurimū facit ad hanc cogitationem, & cōuertit
super faciem suam. Nam vasa, quæ priùs cùm
essent plena, os habebant supinum, quia aliter
continere non possent vnguenta alabastra, & py-
xides, neque lagenæ vinum, neque lances obso-
nia: at vbi hæc eadem vacua sunt inuersa, & ore
prono in vasario atque abaco statuuntur, quia
nihil habent, quod effundi possit, aut eueri. Ni-
si maius quod putauit Caietanus, ideo ore pro-
no inuersa fuisse vascula, ne quid liquoris rema-
neret siue in lateribus, siue in fundo vasis. Sic
enim fit communiter ab his, qui ab omni liquore
purum vas esse cupiunt.

9. Hieronymus alia metaphora videtur eandem
sententiam explicare voluisse; quare Hebraicam
vocab **תְּלַבֵּת** **salachath**, quam alij, & ipse quo-
que aliquando **vas** conuertit, vt lebetem, scu-
tellam, patinam, hoc loco reddidit tabulam,
illam, opinor, tabulam deletilem, quam etiam
Palimpsestum vocamus, quæ inducto aliquo le-
uissimo tectorio, aut etiam cera facilè excipit
aut literas, aut rerum imagines, quas exarare
quisque velit, aut depingere: quæ sic delentur,

vt scripturæ prioris aut imaginis nullum appa-
reat signum. Hic autem de inceratis tabulis agi-
puto, id certè docet styli nomen, quo non ce-
russatæ tabulæ, sed obductæ cera imprimuntur
signa. Stylus enim, qui antiquis sæculis pro cala-
mo fuit, altera parte acutus erat, qui in cerata ta-
bula notas exarabat, altera latior, & obtusior,
quo si minus scripta probarentur, delebantur, vt
eodem rursus complanata cera nouæ induceren-
tur notæ, aut rerum imagines. Quare vertere stylum,
idem valet apud Latinos proverbiali specie,
atque corrigerre, aut mutare sententiam, quod
enim styli exaramus acumine idem inuerso stylu-
latiori illius parte delemus. Sic Horatius lib. 2.
Satyr. 10.

Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,
Scripturus.

Ait ergo Propheta quicumque ille est, qui mi-
nas hasce fulminis in modum intorsit in Ma-
nasse, & populi deuotum neci aut infortunio ca-
put, ita fore delendam Ierusalem, & obliteranda
quæ in illa maiorum exempla visebantur illu-
stria, & in omnem æternitatem duratura, vt ne-
que antiquæ virtutis, & gloriae vlla superessent
vestigia, perinde atque si notata forent in pul-
uere, in quo Ierem. c. 17. qui à Domino defece-
runt, scribuntur, aut in aqua, quæ temporis mo-
mento vanescunt.

Et delens vertam, & ducam crebrius stylum su-
per faciem eius.] Facies in tabula pars illa est, quæ
literas excipit, vel imaginem: stylus obducitur
cùm pars latior illius ceræ imprimitur, & obscu-
rat, & delet quod notatum fuerat. Si vox vna aut
versus vñus obcœcandus est, semel inducitur in-
uersus stylus, si plures versus, sèpius, donec tan-
dem deletis literis, aut figuris, pura relinquuntur
tabula, sicut antequam nulæ in ea notæ forent
impressæ. Quod sane accidit in Hierosolymæ va-
stitate, in qua hostilis semel & quartò inductus
est stylus, donec tandem tota prorsus interiit.
Nam primùm illam deformauit Pharaon Necao,
occiso Iosia, & abducto Ioachaz in exilium, &
imposito terræ graui tributo infrà c. 23. quo tem-
pore in nobili tabula bona pars Iudaicæ gloriæ
obliterata est, quod reliquum fuerat, erat fun-
ditus Nabuchodonosor variis in eam regionem
appulsibus.

Vers. 14. Dimittam vero reliquias hereditatis 12.
meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius.] Duas
hic ego explicationes videre videor: altera vt
Deus videatur omnino dimisisse, atque abiecisse
reliquias hereditatis suæ, id est, duas tribus, quæ
reliquæ fuerant, postquam decem alias abduxer-
unt Assyrij. Tam autem hæc, quam illæ hereditas
potuerunt appellari Dei. Causa vero cur Deus
tam seuerum sumperit de sua hereditate sup-
plicium, ea fuit, quia ex quo egressi fuerunt ex
Ægyptio solo, licet singularibus onerati benefi-
ciis, defecerunt tamen frequenter à Deo, & iterat-
is sèpe sceleribus illius in se furorem irrita-
runt, donec tandem, impleta scelerum mensura,
vltricem Domini manum experti sunt.

E Altera expositio aliquid hic agnoscit ab ani-
mo Domini clemente profectum, ita vt delete
omnino noluerit populum suum, sed bonam il-
lius partem superstitem reliquerit, quæ seruilem
operam præstaret Babyloniis, & genus propaga-
ret Iudaicum, quod ad paucos redactum interiis-
se videbatur, susceptis in captiuitate liberis, qui
tanti populi implerent ruinas, & ad spem majo-
rem gentem abiectam, & penè exanimatam eri-
gerent.

gerent. Id quod sub hæc tempora cecinit Isaías A c. i. v. 9. & retulit Paulus ad Roman. c. 9. v. 29. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorrha similes essimus.* Ita Abul. q. 14. Dionysius. Ego in priorem explicationem magis propendeo, quam tenent Caetanus, & Hugo.

14. Vers. 16. *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses, multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os.*] Connumerarat suprà historicus sa-
cer impietatem Manasse, quo modo relicto Deo, cui tam constanter ac seriò hæserat pater Eze-
chias, variis se superstitionibus illigarit, idola coluerit, auguria captarit, nullumque horruerit diuinationis genus. Nunc crudelitatem illius ac-
cusat, & amplificat, cui nihil tam innocuum, ni-
hil tam sanctum fuit, à quo furorem, & ferrum
continuerit. Usque adeò autem grassatus est in-
temperanter, & barbarè, vt ciuitas tota usque ad
os innocentum sanguine redundaret. Qui dicen-
di modus magnam indicat rerum abundantiam:
sumitur autem translatio non ab ore animalis,
sed ab ore vasis, seu putei, aut horrei, tunc enim
vulgari sermone rerum significamus abundan-
tiam, cùm ad os usque, id est, ad summum aliquid
plenum esse dicimus. Licet quinam hi fuerint,
quorum sanguinem Manasses effudit, ex Scriptu-
ra non constet; est tamen verisimile illorū fuisse
Prophetarum, per quos Deus Regis impij pecca-
ta reprobavit, aut qui sequi noluerunt illius
mores, & institutum, aut qui illius intemperan-
tiam liberiùs exprobrarunt. Sanè ab illo propter
reprehensionis acerbitatem occisum Isaiam acer-
bissimo mortis genere, sentiunt communiter Pa-
tres, & nos hæc copiosius exposuimus in nostris
commentariis in Isaiam Prolegomeno 5. vide A-
bulens. q. 18. Iosephus lib. 10. Ant. c. 4. In omnes,
inquit, quotquot erant in Hebreis, iustos grassabatur
cadibus, nec à Prophetis quidem cruentas manus absti-
nens: nam ex horum numero per singulos dies aliquem
afficiebat supplicio.

15. *Absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam.*] Hæc grauissima fuerunt peccata: sed illud non
fuit leue, quod suo exemplo pessimo gentem suo
subiectam imperio turpiter corrupit. Principum
enim exemplum severissimi cuiusdam imperij
pondus habet; ad cuius formam mores suos at-
temperet inferior multitudo. Sed neque impe-
rium defuisse credo, quo nimium timidam, atque obsequentem plebem ad opem impietatis genus
secum traxit.

16. Vers. 17. *Reliqua autem sermonum Manasse, & uniuersa quæ fecit.*] Plura alia fecit Manasse, quæ
alibi scripta sunt, quæ nos ex lib. 2. Paralip. c. 23.
ad hunc locum transferemus, ne Regis huius,
aut manca maneat, aut obscura narratio. Eo au-
tem loco à versu 11. habemus, quo supplicij ge-
nere Dominus tot impij Regis, tamque impura
ac barbara peccata mulctauerit. Primum immisit
Regem Assyriorum, qui Regem Manassem vin-
ctum traduxit Babylonem. Quis tamen ille fue-
rit, incertum est, quia res Assyriæ hoc tempore
obscure sunt: neq; aliquid est in Scriptura, quod
ego viderim, quod aliquid nobis præferat lucis.
Illud certius, Regem Babylonis sub hoc tempore
subditum esse Assyriorum Regi. Quare Rex iste
Assyrius, quicunque fuit, captiuum Manassem
in Babylonem secum abstulit, in ciuitatem nimis-
rum sibi subiectam. Quod ex eo constat, quia Rex
Assyriorum Regem Manassem, nobilem scilicet
prædam, in ciuitatem alienam non amandasset.

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

Item, quia, ut vidimus suprà c. 17. v. 14. Salmana-
sar Rex Assyriorum colonos induxit in Samariā
à se subiugatam ex Babylone, non vtique ex aliena
ciuitate, seu prouincia. Quæ enim esset prudē-
tia alienorum fidei commendare ciuitatem re-
giam, à quibus sperari nihil posset fidele, ac tu-
tum? Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone &
de Cutha, &c. & collocauit eos in ciuitatibus Samariae
pro filiis Israhel.

Deinde eodem cap. v. 12. habemus, quo modo 17.
dura vexatio & severa custodia, & superiorum
temporum, & peccatorum recordatio ex obstina-
to quondam pectore penitentiam excusserit.
Quemadmodum oraret ardenter, denique adeò
libertatem obtinuerit, & regnum unde exciderat
superatus ab hoste maiori. Oratio, quam habuit
Manasses cùm esset in vinculis, à nonnullis olim
putabatur, canonicae fidei, quam legebamus ad
finem libri secundi Paralipomenon. Nunc tādem
extra seriem canoniconum librorum cùm aliis plu-
ribus deposita est, ne prouersus interiret. Atque ideo
ab illius explicatione prudens abstineo. Ex illa ta-
men, cuiuscunque sit fidei, illud habemus, durissimam
habuisse custodiam, & vitā arumnosam.
Sic enim ille, *Incuruatus sum multo vinculo ferreo,
ut non possim attollere caput meum, & non est respira-
tio mibi.*

Deinde à versu 14. traditur quid egerit à vin-
culis diuino beneficio solutus, quām alias fuerit
à seipso, ut animum seriò applicuerit ad munien-
das vrbes, ad construenda præsidia, ad profligan-
dos hostes opportuna. Denique ne quid decesset,
quod ab optimo principe disciplina militaris
exigeret, neq; minori studio in religionis, quam
antē prodiderat, oppugnarātque, obseruationem
incubuit, vt & eam ipse coleret, & in aliis excita-
ret, & quām maximè posset studiosè fouerer.
Quare enertit aras impiæ religioni consecratas,
simulacra confregit, & mala malè perdidit, & ex-
tra vrbum omnia proiecit suis cultoribus dein-
ceps futura ludibrio. Porro sub hæc tēpora con-
tingisse historiam Judith nonnulli existimant, in
quibus sunt Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 1.
c. 12. Serarius in librum Judith c. 1. q. 2. sed hæc
longiorem disputationem desiderant, quam ad
meum institutum pertinere non puto.

Vers. 18. *Dormiuitque Manasses cum patribus suis,* 19.
& sepultus est in horto domus sua in horto Ozæ.] Cūm
alij ferme Reges Iuda sepulti dicantur in ciuitate
Dauid, & appositi ad parentes suos, præter admo-
dum paucos, Manasses tamen in horto domus
sua, qui hortus dicebatur Ozæ, sepultus est. Non, Ozæ, qui:
vt opinor, odio populi, cui execranda videbatur hortus.
prius Regis vita, quia extrema pars ætatis tur-
pem illam maculam tāta morum mutatione de-
terferat. Erat, opinor, in horto illo illustre aliquod
Mausolæum, dignum regio cadavere, quod
sibi Rex viuus, sanusque construxerat, non pro-
cul ab vrbe, cui nomen videtur dedisse Sacerdos
Oza, cui nimia in arcum fœderis temeritas ade-
mit. Casum verò Ozæ non longè ab vrbe conti-
gisse, suo loco probauimus lib. 2. c. 6. ad illud
versiculi 9. Et extinxit Dauid Dominum in die
illa.

Viginti duorū annorū erat Amon cùm regnare co-
pisset.] De Amon nihil fermè habemus dignū an-
nalibus, quia regiæ dignitatis usura breuissima,
vrpore biennij, vita turpissima, cùm similis esse
maluerit parenti iuueni, & in omnem morum, &
impietatis turpitudinem proieclo, quām ei-
dem seni, & multo saniora cogitanti. Quare cūm
Y Y illius

*Manasse
crudelitatis.*

*Manasse o-
ratio nō ca-
nonica.*

*Manasse eu-
pates abduc-
tur.*

illius ineffrenatos mores sustinere non possent, servi quidam domestici, quorum tunc erat animus minus quam antea pietati rebellis, illum occiderunt, cum edidisset nihil nisi quod excederet & damnarent boni: & quod pietas horreter atque religio. Sed populus, qui neque omnia accurate, prudenterque considerat, qui que plerisque nobilitati fauerit, virtus est cædem illam, occidis illis, qui per insidias Regem obtulerant, & regium cadaver in horro Ozæ paterno monumento considererunt. Et Iosiam filium infantili prope ætate, octauum enim annum tunc agebat, parentis loco in regno sufficerunt.

IN CAP. XXII. LIB. IV. REGVM ARGUMENTVM.



VSCEPIT Iosias regni gubernaculum octavo ætatis anno, cuius animus id spectauit maxime, Domino ut in omnibus placeret. Decimo autem anno ex quo regnum adiit, resarcire, ac solidare voluit, quæ in templo aut ruinosa, aut male concinnata videbantur. Et quis in colligenda dispensandaque pecunia penendus esset modus, accuratè prescrispsit. Inuentus est eo tempore liber legis, & ad Regem delatus, qui cum ex eo didicisset, quid contra legem peccatum esset à maioribus, & eam ob causam toties ab hoste dure iactatos, ne quid ipse, & commissus suæ fidei populus pateretur simile, diuinum placuit oraculum consulere. Erat tunc Prophetissa quædam in Ierusalem nomine Holda, quæ dum a Dei nomine denunciavit populo, qui Dei præceptis minus diligenter inhæserat. Consolatur tamen Regem, qui sua pietate id consecutus est, ut impendentem genti suæ interitum non videat.

CAPVT VIGESIMVM SECUNDVM.

1. Cto annorum erat Iosias cum regnare cœpisset: triginta & uno anno regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Idida, filia Hadaia de Besecath.

2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias David patris sui: non declinauit ad dexteram, sive ad sinistram.

3. Anno autem octavo decimo regis Iosæ misit rex Saphan filium Aslia, filij Messulam, scribā templi Domini, dicens ei:

4. Vade ad Helciam sacerdotē magnum, vt confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi à populo.

5. Deturque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his qui operatur in templo Domini, ad instauranda sartate & templi:

6. Tignariis videlicet & camentariis, & iis qui interrupta componunt: & vt ematur ligna, & lapides de lapicidinis ad instaurandum templum Domini.

7. Veruntamen non suppetetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate D habeant, & in fide.

8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librū Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud.

A Liber ad extremum addere pro re moralis quod 21. p.2. annalium meditabatur Glycas. Fuerit, inquit, opera præsum inquirere, quamobrem Deus Manasse penitentiam expectauerit, sed non filii eius Amon, pccata aliorum aut tolerata diu, aut imputata in scelerum animis auctoriam alunt.

IN CAP. XXII. LIB. IV. REGVM ARGUMENTVM.

9. Venit quoque Saphan scriba ad regem: & renunciauit ei quod præceperat, & ait, Conflauerunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt ut distribueretur fabris à præfectis operum templi Domini.

10. Narrauit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librū dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan corā rege,

11. Et audisset rex verba Libri legis Domini, secidit vestimenta sua.

12. Et præcepit Helcias sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asaiæ seruo regis dicensi:

13. Ite, & consultite Dominū super me, & super populo, & super omni Iuda, de verbis voluminis istius, quod inueniūt est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

14. Ierunt itaque Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Asaiæ, ad Holdam prophetidem, vxorem Sellum, filij Thecuæ, filij Araas custodis vestium, quæ habitabat in Ierusalem in Secunda: locutique sunt ad eam.

15. Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me.

16. Hæc

16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius: omnia verba Legis quæ legit rex Iuda:

17. Quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.

18. Regi autem Iuda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod

A audisti verba voluminis,

19. Et perterritum est cor tuum, & humiliatus es eorum Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus:

20. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

IN CAP. XXII. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset.]

I O S T Parentis nequissimi breuem, & turpissimum dominatum, successit Iosias, quo in Regibus Iuda, aut nemo melior, aut certè cum paucis optimus fuit. Qui sic instituit viuendi modum, ut Deum ubique locorum præsentem habuerit, & ad ea animum intenderet, quæ existimabat illi placitura, neque quoquam à Davidis vestigiis vñquam deflexerit. Quare, ut illi nihil antiquius, aut potius fuit, quam ut diuinus honor magis in dies singulos, ac magis augeretur, & quæ ad illius spectant cultum magnifice semper ac legitimè fierent; sic ipse è primùm appulit animum, ut quæ ad religionem pertinent, eo essent ordine ac loco, ut neque indecorè peragerentur, neque vñquā intermissa deficerent; aut in illis obeundis Sacerdotum aut sacrorum hominum studia languerent. Quare, ut legimus lib. 2. Paralip. c. 54. à vers. 3. non solum ex Hierosolyma, sed etiā ex tota Iudea quidquid Gentilicum, aut impium oleret, relegandū curauit. Quare excelsa sustulit, lucos excidit, simulacra cōfregit, & quicquid sculptili opere excussum, atque conflatum fuerat. Et execratus tam vana idolorum portenta, quam illorum, qui illa aut constauerunt, aut coluerunt insaniā, ut ostenderet ea, quibus delusa gentilitas honores impedit diuinos, nihil habuisse maius, aut honestius, quam ossa grauiter orentia, aut putrida membra, confacta simulacra in illorum tumulos per ludibriū coniecit, in quibus illa clausa computuerant. Et vbi idolorum sacrificuli viætmas immolauere nefarias, illorum ossa ignominiosè combusta redigunt in cineres: ut altaria quæ prius in idolorum cultum sanguine victimarum imbuerant, suis postea cineribus inuiti polluerent. Hoc modo religiosus princeps expiavit Ierusalem, & Iudam, quæ suo suberant imperio, ut legimus 2. Paralip. c. 34. v. 6. Quodcumq; in terra Ephraim, Manasse, Simeon & Nephthali religionis gentilicæ monumentum, aut instrumentum inuenit, illud prorsus dissipauit, ac perdidit. Cūque in vniuersa terra Israel nullum altare, nullum sacrarium, nulla denique gentilicæ dementiae vestigia reliquisset, Hierosolymam rediit, ut cetera, quæ ad religiosum cultum componi posse videbantur, præsens ipse perficeret. Hæc ex lib. 2. Paralip.

2. Vers. 3. Anno autem octavo decimo Regis Iosias misit Rex Saphan. In his quæ proximè adduximus ex lib. 2. Paralip. videtur duos annos posuisse Iosaph. Sancti Com. in lib. Reg.

A sias; nam v. 3. de illo dicitur, *Octavo anno regne sui cum adhuc esset puer, caput querere Deum*, id est, cum annorum esset sedecim. Post verò v. 8. & nunc v. 3. anno octavo decimo aggressus esse dicitur expiationem templi, & reparationem eorum, quæ aut attrita longo vsu, aut tempore, aut alia quavis iniuria hominum, aut temporum collapsa fuerant, aut ruina proxima. Quare Saphan scribam, cui sumptuū, rationūque templi cura mandata fuerat, ad sacerdotem maximum Heliam mandat; cui edicit, ut quicquid à templi ianitoribus collectum est pecunia, præpositis domus tradat, ut per fabros farram, & testam domum tueantur, in quibus seruari placuit modum illum, quem Iosas supra c. 12. in farris testis teneri voluit.

B *Librum legis reperi in domo Domini.*] Fecit superiorum quorumdam Regum improbitas, &, ut modestissimè dicam, grauis incuria, ut liber legis omnino periret, & cum eo multarum rerum memoria, quæ plurimum ad conformandos mores iuxta instrumenti veteris præcepta conferebant. Cūque alij ea in re communibus rationibus incommodassent: qui neque vindices neque custodes legis esse voluerunt; maximè verò Manasses, & Amon, qui dum gentilicis se sacrif. & legibus alligarunt, diuinæ legi ac libris, in quibus illa cōtinebatur, bellum indixerunt. Quare aut sacros libros, qui viuendi religiosè ac sanctè formam tradebant, consumperunt incendio, aut ita compresserunt, aut abdiderunt in tenebras, ut nusquam apparerent. Quod autem hoc tempore nullus esset liber, ex quo viuendi certam formam discesserent Iudei, ex eo sati fit verisimile, quod cùm scriba Saphan legisset inuentum librum coram Rege, quasi nouum aliquid audiisset, scidit vestimenta sua, quod sanctè facturus fuisse non videbatur, si libros habuisset, à quibus prius diuinis illas minas accepisset, quæ ipsius animum tam graui ac subito horrore concusserunt. Habuit Iosas Amon parentem in omni scelerum turpitudine corruptissimum, à quo nihil sanum, nihil religiosum audiuit, neque fortasse legem ullam esse à Domino præscriptam, quæ proposita mercede ad virtutem aliceret, & obiecto metu deterret à vitiis. Quare cohorsuit toto corpore, cùm illa audiuit, quæ grauia peccatoribus infortunia minantur. Illa, opinor, quæ tradita sunt Leuit. cap. 26. & Deuter. cap. 28. Deuteronomium sanè periisse, & Iosæ tempore repertum,

C Libri legi aliquando videntur.

D apparerent. Quod autem hoc tempore nullus esset liber, ex quo viuendi certam formam discesserent Iudei, ex eo sati fit verisimile, quod cùm scriba Saphan legisset inuentum librum coram Rege, quasi nouum aliquid audiisset, scidit vestimenta sua, quod sanctè facturus fuisse non videbatur, si libros habuisset, à quibus prius diuinis illas minas accepisset, quæ ipsius animum tam graui ac subito horrore concusserunt. Habuit Iosas Amon parentem in omni scelerum turpitudine corruptissimum, à quo nihil sanum, nihil religiosum audiuit, neque fortasse legem ullam esse à Domino præscriptam, quæ proposita mercede ad virtutem aliceret, & obiecto metu deterret à vitiis. Quare cohorsuit toto corpore, cùm illa audiuit, quæ grauia peccatoribus infortunia minantur. Illa, opinor, quæ tradita sunt Leuit. cap. 26. & Deuter. cap. 28. Deuteronomium sanè periisse, & Iosæ tempore repertum,

docet Chrysostomus hom. 9. in c. 2. Matthæi. **Multa** inquit, ex propheticis periisse monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Iudæi, nec desiderio modo, sed & impio, alia quidem perdidérunt negligenter. alia vero tum incederunt, tum conciderunt. Et hoc quidem Ieremias, illud vero auctor 4. lib. Regum afferunt: quoniam post multum temporis vix Deuteronomij sit volumen reperitum defossum quodam in loco, ac pene deletum. Idem iterat Chrysostomus in ep. 1. ad Cor. c. 2. hom. 7. Quid ego captitatem memoro: nam etiam ante captitatem multis sunt abolita librorum volumina, cum Iudæi in ultimam prolapso sunt impietatem, quod in calce lib. 4. Reg. manifeste deprehenditur. Liber enim Deuteronomij vix tamen inuenius est ruderib. obrutus.

B 4. Ex his Chrysostomi verbis multa colligo: pri- mū, videri non improbabile cōscios, aut combustos fuisse libros factos ab illis, qui falsam, atque impiam religionem amplexi, sanctam, & veram prididetur, quia suis consiliis sacra volu- mina futura contraria non obsecrare cognouerāt. Sanè Gentiles olim, qui religione Christianæ, dum impiam promouere studēti, bellum indixere, illidem facros libros non minori studio atque odio infectati sunt; quia dum illi vinerent, & quod il- lorum præcipuum est munus, religionem aterēt, non putabant satis suis conatibus esse consultū. Fecerunt hoc idem quod Achaz, Manasses, & Amon, alijs R̄ges, qui in ultimam prolapso sunt impietate Diocletianus, de quo Eusebius lib. 8. hist. c. 3. Per Imperatoris, inquit, literas palam edictum fuit, vt deturbarentur Ecclesia, & loque aquarentur, & Scriptura absimerentur igni. Neque minori studio ab impiis Imperatoriis edicti ministris res peracta est, quam à icelerato Imperatore cogitata, de quibus Arnobius, qui præfens ipse spectare potuit, & Martyrum lanienam, & librorum incendium, libro 4. sic ad gentes loquitur. Quod si haberet vos alijs, ut vetus pro religionibus indignatio, has potius literas (nempe vestras) hos execrari debuistis olim libros, istos demoliri, dissoluere theatra, hac potius, in quibus infamia numinum propugnacis quotidie publicantur in fabulis; nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari: de quibus & Aug. tom 7. contra Cresconium Grammaticum lib. 3. c. 27. Hæc verò scripta, quibus & diuina lex, & Sanctorum præclaræ gesta continebantur, sic indagabant canes illi venatici, ut omnia scrutarentur; sic extorquebant crudeliter, ut si quis illa aut tradere nollet, aut occultare vellet, durū illi proponeretur supplicij genus. Experti sunt plurimi Imperatoriā illam rabiem, quibus dum vitâ chartiora sunt scrip- ta illa sacra, quæ tyrannus poscebat, sanguinem potius, & vitam largiti sunt. De quibus in Romano Martyrologio 2. die Ianuarij. Rome commemo- ratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui preto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri codices iubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt.

E 5. Quod verò eo tempore exulti fuerint in Hispania illo Imperatoriis edicti incendio grassante, & sacri codices, & alijs etiam libri, in quibus scrip- ta à fidelibus Martyrum gesta continebantur, dolet Prudentius in eo hymno, quem de Heme- terio, & Cheledonio conscripsit, in quo queritur in illo impio pitorum codicum incendio periisse plurima maximarum virtutum exempla. Sic au- tem Prudentius:

O vetustatis silentis
Obsleta obliuio!
Inuidentur ista nobis,

Fama & ipsa extinguitur:
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit:
Ne tenacibus libellis
Erudita: sæcula
Ordinem, tempus, modumque
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posteriorum spargerent.

Idem Isidorus in Missali Gothicō eodem festo, Libri sacri cùm ageret de historia Martyrum, quam tyranno- à Tyrannis in Hispania combusi.

6. Neque malorum horum, & callidorum Princi- cipum vanum consilium fuit: nam sicut impuri, vt boni libri aut qui falsam doctrinam continent libri, aut qui quoniam modo ad corrumptos mores idonei existimantur, religionem, & sanctitatem oppugnant, & euertunt, sic qui mores ad pietatem informat, pietatem fouent, confirmant, & roborant, egregij sanctitatis & fidei custodes, & indefessi vbi que propugnatores sunt.

C 7. Vbinam liber ille, quæ nonnulli nec sine graui fundamento Deuteronomij fuisse credunt, inuen- tūs fuerit nō constat: neque ex Scriptura aliquid habemus aliud quām repertū à Sacerdote Helcia librū legis, cùm offerrent pecuniam, quæ in tem- ple fuerat oblata. Ex quib. efficit Abul. q. 11. in arcis vbi pecunia illa seruabatur, latuisse librum. Quod etiam Iosephus putat lib. 10. c. 5. Pötifex, in- quid, dum promitt aurum, forte incidit in sacros libros Moysis in tēplo repositos, eos prolatos dedit Scriba Sa- phani, qui cum perlegisset eos, Regem adiit. Rab. Salomon, quæ citat, & sequitur Lyra, ait omnes libros legis cōbustos fuisse ab Achaz, vt suæ impietatis amoueret testes, qui ipsum violatæ legis, & abiuratae patriæ religionis arguerent. Cūm autem aliqui Sacerdotes timerent, ne lex sublatis libris ex hominum memoria periret, in muro tēplici perfosso concluserunt: quem dum clementarij restaurant, in librum inciderunt, qui ideo inuentus esse traditur ab Helcia, quia ipse tunc vrgebat opus, & satra recta templi omnium Princeps curabat. Chrysost. hom. 9. in cap. 2. Matth. defossum fuisse dicit in quodam loco, ac penè deletum. Et idem in epi. 1. Cor. c. 2. hom. 7. repertum fuisse dicit ruderibus obrutum. Quidquid horum velis, non est improbabile, neque video quid contrā à quo- quam adduci possit, quod aliquam harum expli- cationem admodum premat.

D Vers. 10. Quæ cùm legisset Saphan coram Rege, 8. & audisisset Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua.] Aliquid sine dubio nouū audierat, & horribile Iosias, quod occultauerat pater Amon, qui nihil curabat minus, quām de vera legis obseruantia: legit, opinor, quod traditum est Dent. c. 28. aut si aliquid præter Deuteronomium, in- uentum est (nam sunt qui tantū latuisse patent Deuteronomij librum) caput Leuitici 26. Cūm autem grauem ex illius libri lectione concepisset dolorem, & metum, cùm spretū videret aut ignoratum id quod à Deo præceptum esset tam seuerē, disruptus, quod in affectu simili fieri soleret ab Hebreis, vestimenta sua, & qua ratione sua parētumque, ac populi peccata expiari possent, & pla- cari Deus, quem offenditum putabat, à Prophetis discere, atque à Domino voluit; quod negotium viris maximæ auctoritatis & fidei commendauit.

E Vers. 14. Ierunt itaque Helcias Sacerdos, &c. ad 9. Holdam Prophetidem uxorem Sellum.] Erant hōc tempo

Exusti sacri libri ab E- uangelij boſtibus.

C 7. Liber legis vbi inuen- tūs.

tempore in Iudæa Prophetæ , vt Ieremias, & Sophonias, sed fortasse sub hoc tempore , aut non se illorum propheticus spiritus à Deo prodiderat, aut ab urbe aberant, & quos à regiis famulis adiuti non erat facile. Quare adierunt Prophetidem quandam fœminam nomine Holdam, cuius tunc Spiritus notus erat populo, eamque regio nomine de re tota consulunt. Fuisse autem in utroque tempore Euangelij, & legis , non Prophetas solum, sed etiam Prophetides, res est nota. Fuit sa- nè hoc afflata spiritu Maria soror Moysis , quæ Exod. c. 15. v. 20. Prophetissa dicitur : fuit Debora, de qua Iudic. 4. v. 4. Fuit Anna Samuelis mater 1. Reg. 2. Neque in aureo Euangelij sæculo defuerunt fœminæ , quas propheticus iste Spiritus affluit. Fuit Elizabeth Ioannis Baptista mater, Lucæ 1. Anna Phanuelis filia , Lucæ c. 2. Filiae Philippi quatuor, Actor. 21. omnium verò Princeps beata Virgo , Lucæ c. 1. Et quidem Ieol c. 2. v. 28. Propheticum Spiritum non viris solum, sed etiam fœminis dandum esse cecinunt. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae.* Sibyllas porrò spiritum habuisse Propheticum, communis est sensus , & quæ nunc habemus illarum oracula non obscure docent. Vide Augustinum de ciuitate lib. 18. c. 23. Lactantium lib. 1. c. 6.

10. *Fœmina prophetides plerumque virgines.*

Illud hinc obseruandum fœminas hasce, quibus Dominus propheticum affluit spiritum, aut fuisse virgines , aut viduas , aut certè si coniugatae fuerunt, à re abstinuisse coniugali. Ita visum est aliquibus, quod tamen constat, licet ita plerumque contigerit , non tamen illud omnibus fuisse commune. Nam Anna Samuelis mater post diuinum afflatum filios suscepit. Neque de Elisabeth, aut Debora, ea de re quicquam habemus ; & vt Elisabeth vxor erat Zachariæ , & Debora Lapidoth , sic etiam Holda vxor dicitur esse Sellum. Sed vt Annā Samuelis matrē omittam , reliquas ego crediderim virgines fuisse , aut viduas , aut accepto diuino spiritu, nullum cum viris habuisse coniugale commercium. Quatuor Philippi filiae Actor. c. 21. aperte dicuntur virgines : de Sibyllis ita sentiunt communiter Patres , imò putant prophetæ spiritum præmium esse illibati pudoris. Sic sanè Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1. vbi etiam aliis præter Sibyllas ex Gentilium sententia dicit esse concessum. *Quid referā,* inquit, *Sibyllas, Eritream, Cumanam, & octo reliquias?* (nam Varro decem fuisse autumat) quarū insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio? *Quod si e* folici genere sermonis Sibylla *θεοῖς* appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas, Cassandram quoque & Chrysem vates Apollinis, ac Innonis virgines legimus. Ambrosius quo tempore Debora iudicauit Israhel, viduam fuisse dicit lib. de viduis, vbi sic de Debora, *Vidua populos regit, vidua ducit exercitum: vidua duces eligit, vidua bella disponit.* Fortasse hanc Holda, quæ vxor dicitur Sellum , vidua tunc erat: aut virum forsitan domus habuit, non tori consortem.

11. *Quæ habitabat in Ierusalem in secunda.*] Holda, domum in Ierusalem habebat, Ieremias in Anathoth , & cùm regium mandatum legatos virgines, maluerunt Prophetidem fœminam, quæ propè, quam virum Prophetam, qui procul domiciliū habebat. Secunda porrò pars est in ciuitate remotior , quæ eo videtur vocata nomine , quia forsitan erat in secunda ciuitatis parte , & quasi in ciuitate secunda, in illa videlicet, quam secundus & extrarius vallabat murus , quem ad munitio-

A nem ciuitatis obduxit Ezechias 1. Paralip. c. 32. v. 5. *Edificauit quoque agens industrie omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum.* Hieronymus ad illud Sophonie c. 1. v. 10. *Vox clamoris a porta pisicum, & ululatus a secunda.* Secundam portam dicit esse, quæ est in secundo ciuitatis muro. Sic autem ibi Hieronymus. *Quod autem ait, & ululatus a secunda secundi muri in eodem climate, portam significat.* De qua & in regnorum libro scriptum est: *Ei iuit Helcias Sacerdos, &c. ad Holdam, & hec habitabat Ierusalem in Secunda.* Vide quid nos ad hunc Sophoniæ locum in nostris commentariis, & ad illud Ieremiæ c. 39. v. 3. *Sederunt in portam media.* Hæc explicatio de porta secunda, aut secunda ciuitatis parte omnium mihi maximè placet, neque scio utram in partem propendeam. Sed trahit me pödus quod est à Hieronymi auctoritate maximum. Aliter diuinant alij, sed, meo iudicio , nihil magis accommodatè, Chaldæus scholam, seu doctrinæ domum interpretat, sicut etiam Pagninus. quasi ibi scholam habuerit Holda, quod probat Caietanus. Alij vocem *שׁנָה*, pro qua vulgatus secundam reddidit, Scholam esse putant secundam, in qua nō sacra, ex lege, atque Prophetis sumpta, sed vulgaris & ad œconomicam seu politicā administrationē doctrina tradebatur. Quæ ideo dicitur *secunda*, quia alia, quæ ad religionē, distinctione cultum pertinet, priori ponitur ordine, & loco. Sed, vt dixi, secunda pars est exterior ciuitatis, quæ inter duos muros cōclusa est; aut, vt alij legunt, duplicita; quia pars illa addita fecit, vt duplex esset ciuitas, quæ prius fuisse videbatur simplex , & una; aut, quod suprà putabat Hieronymus, porta ciuitatis in secundo muro, & hoc potius.

Sed quæreret hinc aliquis, quid tantum sit Holda 12.

in secunda ciuitatis parte domiciliū habere, vt oportuerit hoc loco fuisse notatum. Hanc ego causam mecum antea meditabar, neque ab ea nunc alienus sum. Putabam domum Holdæ procul esse à regia domo, & quia in secunda ciuitatis parte, id est, in suburbio, esse domum ignobilem , in qua fœmina paupercula viueret, quæ magis esset nota propter prophetæ donū cælitus inspiratū, quam propter generis gloriā, & earum rerum abundatiā, quæ à vulgaribus animis numerantur in bonis. Cùm autem procul esset domus , illaque tenuis, qualis à sordida fortunæ hominib. habitari solet, tamē viri illi principes virginē regio mandato, & peccatorū conscientia cōpuncti, non dignati sunt ad locū ignabilem , ad fœminam pauperem accedere abiecti & supplices, vt ab illa expandi proprij atq; cōmuni sceleris, & placādi Dei certam aliquā, & idoneam formā docerētur. Hic discant viri nobiles, cùm de animarum salute deliberant, aut fatigunt, abiiciendos esse insolētes spiritus, neque contemnda illa, quæ vulgus hominum vilia iudicat, & sordida , si modò animæ morbis cōmodam possunt adhibere medicinā.

Magno in honore habenda, quæ ad animæ salutem pertinent.

Vers. 16. *Ecce ego adducā mala super locum istum.*] 13. Cùm audiisset a legatis Holda regium mandatum, hoc statim iussit responsum referri; iratum esse Dominum contra locum illum & gentem , quia vero Domino relicto peregrinis sē legibus & gentilicis sacrī alligarunt. Quare non esse recusandum quominus illa subeant infortunia, quæ scripta sunt in eo libro, quæ inuenierūt in templo aduersi illos, qui legē diuinam conculeauerūt. Ex quo sequitur librum illum cōtinere minas, quas Dominus in peccatorū caput intorsit, quæ in Leuitico præfertim, & in Deuteronomio continētur.

Ecce ego, ait Dominus, adducam mala super locum A istum, & super habitatores eius omnia verba legis, quæ legit Rex Iuda.

14. *Vers. 18. Regi autem Iuda, qui misit vos, ut considereret Dominum, sic dicitur.] Horribiles illæ minæ, de quibus proximè, ad illos spectant, qui legem conculcauerunt diuinam, & ad alia omnia effrænes abierunt; longè tamè aliter Deus statuit de Iosia, cuius laudat religiosum animū, & diuinæ legis obseruantiam. Quam tunc ostendit, cùm auditis sacri voluminis præceptis, & de illius violatione timore concepto, cohorruit toto corde, & se coram Deo supplicem abiecit, & non ad lachrymas solum, sed ad vestimentorum lacerationem progressus est.*
15. *Vers. 19. Colligeris ad sepulcrum tuum in pace.] B Pax hoc loco non est priuata, & propria Regis, nam verè nō decessit in pace, id est, pacificā mor-*

tem obiit, quæ talis tunc dicitur, cùm à senectute, vel morbo, non à violentia prouenit extrinsecus allata, vt pluribus ostendimus suprà lib. 3. c. 2. ad illud de Ioab, *Non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* Est autem pax Regni totius, quod non turbabatur bellis, quo tempore decessit Iosias. Atque ideo, quod in bello, atque tumultu fieri non solet, cum regia pompa, planctuque solemnī sepultus est: qualem pauci in ea regione consecuti sunt. De quo cap. sequenti pluribus. Decessit itaque Iosias à sagitta traiectus, in pace tamen regni, quam statim, atque ille funeris est vita, potentissimorum Regum arma turbarent. Quam explicationem probat, quod lib. Iosias quo- 2. Paral. c. 3. 4. v. 28. legimus. *Infereris in sepulcrum modo in pa- tium in pace, nec videbunt oculi tui omne malum quod in sepulcrum, ego introducturus sum super locum istum, & super ha- bitatores eius.*

IN CAP. XXIII. LIB. IV. REGVM

ARGVMENTVM.

DIDICIT ex eo libro quem proximè legerat Iosias, quām Deus horreret deorum simulacra, & pro illorum cultu instituta sacrificia, & quām severè à vera religione transfugas puniret. Quare accinxit se, & quamprimum quæ monumenta erant, aut irritamenta superstitionis impia, abolenda curauit. Cūm igitur primum adegisset populum, vt coram Deo renouaret fœdus à parentibus iam ante percussum, altaria deiecit, simulacra comminuit, contaminauit loca consecrata dæmonibus, nihil denique reliquit indemne, ex quo aliquid redoleret religionis impura. Neque sacerdotibus pepercit, & illorum tumulis, atque ossibus, qui aliquando Gentilicis se legibus addixerant. Quæ satis in hoc capite explicantur diffusè. Tandem ubi impura contaminauit sacra, ad pura se, & populum sacrificia dispositus. Fecit enim Phæse quale religione, ac sumptu à tempore Iudicum numquam vidit Hierosolyma. Sub hæc tempora exercitum ducebat Pharaon contra Assyriorum Regem, cui cùm Iosias occurseret, vt prohiberet aditum, confixus est à sagittario, & cum summo omnium dolore, ac planctu peremptus. Cuius loco à populo in regnum vocatur Ioachaz, quem rediens Pharaon vicer ab Assyriis, postquam tribus tantum mensibus cum Imperio fuisset, deiecit è regno, & captiuum secum duxit in Ægyptum, & pro illo Regem constituit fratrem Heliacim, quem pro sua potestate mutato nomine Ioakim appellauit, cui prius in singulos annos tributum indixit.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

1. *E*T renunciauerunt regi quod dixe-
rat. Qui misit: & congregati sunt
ad eum omnes senes Iuda & Ierusalem.

2. Ascenditque rex templum Domini,
& omnes viri Iuda, vniuersique qui habita-
bant in Ierusalem cum eo sacerdotes &
prophetæ, & omnis populus à paruo usque
ad magnum: legitque cunctis audientibus
omnia verba libri fœderis, qui inuentus
est in domo Domini.

3. Stetitque rex super gradum: & fœdus
percussit coram Domino, vt ambularent
post Dominum, & custodirent præcepta
cuius, & testimonia, & ceremonias in omni
corde, & in tota anima, & suscitarent ver-
ba fœderis huius, quæ scripta erant in libro
illo: acquieuitque populus pacto.

4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, &

sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, vt proiicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerat Baal, & in luco, & vniuersæ militiæ cæli: & combussit ea foris Ierusalem in conuale Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel.

5. Et deleuit aruspices, quos posuerant
reges Iuda ad sacrificandum in excelsis
per ciuitates Iuda, & in circuitu Ierusalem:
& eos, qui adolebant incensum Baal, &
Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni
militiæ cæli.

6. Et efferri fecit lucum de domo Do-
mini foras Ierusalem in conuale Cedron,
& combussit eum ibi, & redegit in pulue-
rem, & proiecit super sepulchra vulgi.

7. Destruxit quoque ædicularas effemina-
torū, quæ erat in domo Domini, pro quib.
mulieres texebant quasi domunculas luci.

Con

8. Congregauitque omnes sacerdotes de ciuitatibus Iuda; & contaminauit excelsa, vbi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa vsque Bersabee; & destruxit aras portarum in introitu ostij Iosue principis ciuitatis, quod erat ad sinistram portæ ciuitatis.

9. Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem: sed tantum comedebant azyma in medio fratum suorum.

10. Contaminauit quoque Topheth, quod est in conuale filij Ennon: ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.

11. Abstulit quoque equos, quos dederant reges Iuda, Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathaniellech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni.

12. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex: & cucurrit inde, & dispersit cinereum eorum in Torrentem Cedron.

13. Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem Montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon rex Israël Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit rex.

14. Et contruiuit statuas, & succidit lúcos: repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.

15. Insuper & altare, quod erat in Bethel, & excelsum, quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israël: & altare illud, & excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in pulucrem, succeditque etiam locum.

16. Et conuersus Iosias, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte: misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc:

17. Et ait: Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei ciues urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel.

18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoueat ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria.

19. Insuper & omnia fana excelsorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israël ad irritandum Dominum, abstulit Iosias: & fecit eis secundum

A omnia opera quæ fecerat in Bethel.

20. Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria: & combussit ossa humana super ea: reuersusque est Ierusalem.

21. Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phæse Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius.

B 22. Nec enim factum est Phæse tale à diebus Iudicū, qui iudicauerunt Israël, & omnium dierum regum Israël, & regum Iuda,

23. Sicut in octavo decimo anno regis Iosiae factum est Phæse istud Domino in Ierusalem.

24. Sed & pythones, & ariolos, & figuræ idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda & Ierusalem, abstulit Iosias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem inuenit Helcias sacerdos in templo Domini.

C 25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi.

26. Verumtamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam: propter irritaciones, quibus prouocauerat eū Manasses.

27. Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam à facie mea, sicut abstuli Israël: & proiiciam ciuitatem hanc, quam elegi, Ierusalem, & domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi.

28. Reliqua autem sermonum Iosiae, & vniuersa quæ fecit, nōne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

29. In diebus eius ascendit Pharao Necho rex Ægypti, contra regem Assyrium, ad flumen Euphratem: & abiit Iosias rex in occursum eius: & occisus est in Maggedo, cùm vidisset eum.

D 30. Et portauerunt eum serui sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Ierusalem, & sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulitque populus terræ Ioachaz filium Iosiae: & vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo.

E 31. Viginti trium annorum erat Ioachaz cùm regnare coepisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ, de Lobna.

32. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

33. Vinxitque eum Pharao Necho in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Ierusalem: & imposuit multam terræ, centum talentis argenti, & talento auræ.

34. Regémque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiae pro Iosia patre eius: vertitque nomen eius Ioakim: porrò Ioachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus est ibi.

35. Argentum autem & aurum dedit Ioakim Pharaoni, cùm indixisset terræ per singulos, ut conferretur iuxta præceptum Pharaonis: & vnumquemque iuxta vires

A suas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, vt daret Pharaoni Necho.

36. Vigintiquinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpisset: & vndecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Zebida filia Phadaea de Ruma.

37. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

IN CAPVT XXIII. LIB. IV. REGVM

COMMENTARII.

Vers. 1. Qui misit, & congregati sunt ad eum omnes senes Iuda.]

1. **N**ON diu distulit religiosus princeps complete opere, quod faciendum didicerat ex libro nuper inuenito. Quare ubi primum ab Holda Prophetide oraculum accepit, congregauit omnes, quibus vel auctoritas inerat, ut illis, quid curari vellet, ediceret, & quid opus esset factio cum illis maturè deliberaret. Quibus præsentibus verba libri legit, quem omnium & primum, & principem in consilium adhibere voluit.

2. Vers. 3. Stetitque Rex super gradum, & fædus percussit coram Domino.] Quis fuerit gradus iste, in quo quasi in loco sibi debito constituit Iosias, dubium est. Fortasse erat illud quod supra c. 16. vers. 18. Musach dicitur Sabbati, quod sustulit Achaz, ut in honestiorem, ut opinor, locum transferret. Aut certè basis illa ænea, in qua stetit Salomon, cùm fieret ad templū totius populi conuentus. De qua lib. 2. Paralip. c. 6. v. 12. Stetit (Salomon) coram altari Domini ex aduerso uniuersæ multitudinis: & extendit manus suas. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilice habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetitque super eam. Hic autem gradus, qui basis dicuntur, aliter appellatur tribunal. 2. Paralip. cap. 34. cùm de hoc ipso tempore, atque opere sermo foget, dicitur, stans Iosias in tribunali suo, percussit fædus. Quod autem Rex tribunal aliquod seu gradum haberet in templo, in quo de more federet, liquet ex c. 11. supra v. 14. vbi de Iosas & Athalia: Ingressa (Athalia) ad turbas in templum Domini, vidit Regem stante super tribunal iuxta morem. Quodnam sit fædus illud, quod Iosias coram Deo percussit, facile intelligitur ex his, quæ diximus supra ad caput nuper citatum ex lib. 4. Reg. v. 17. vbi simile fædus coram Domino percussum esse dicitur. vbi etiam in Iosas & Ioiada sacerdote imaginem videmus eorum, quæ in expiando templo, abolendisque Gentilicis sordibus facta hinc dicuntur à Iosia. Hæc porrò, quæ Iosias lecto libro legis, aut molitus dicitur, aut demolitus, ex libro ipso fæderis hausit, qui quid faciendum, quidue declinandum esset, accuratè minutimque præscribit.

3. Et suscitarent verba fæderis huius, quæ scripta erāt in libro illo.] Suscitari dicitur, qui mortuus est, cùm ad vitam reuocatur, quam amiserat; & qui grauitenetur sopore, qui quandam refert mortis imaginem: item domus quæ iam corruit, & rursus ex-

B truitur è rediua materia. Talis erat lex sub hæc tempora, aut mortua omnino, quæ vim haberet nullam contra repugnantes, quæ quasi cadaver in sepulcro, sic etiam ipsa in parietinis, & rudibus condita latebat, aut ita sopita, ut nullas videatur habere vires ad frænandos immoderatos affectus, aut denique quasi dirutu aliquod propugnaculum, quod neque hostes arcere, neque ciues tueri possit. Hæc itaque excitauit Iosias, fecitque ut rediuum fædus dissoluta ligaret, impietatem abigeret, & nouam quandam deformato populo redderet speciem.

Acquieuitque populus pacto.] Quodnam fuerit 4. hoc pactum, quod lubens populus admisit, diximus nuper, & habemus expressum magis 2. Paralip. c. 3. v. 31. Stans (Iosias) in tribunali suo percussit fædus coram Domino, ut ambularet post eum, & custodiret præcepta, & testimonia, & insimulationes eius in toto corde suo, & in tota anima sua faceretque quæ scripta sunt in volumine illo quod legerat. Adiurauit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Ierusalem, &c. Idem penè accidit Exod. 19. vers. 8. nam cùm hæc ferme eadem Moyses populo proponeret, amplexus est populus mandata, dixitque, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Et cap. 24. v. 3. eodem penè modo respondit.

Vers. 4. Et præcepit Rex Helcia Pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, ut proice- 5. rent de templo, &c.] Sacerdotes minores illi sunt, qui sacerdoti maximo subsunt, & varia in templo obeunt ministeria, omnes videlicet præter summum. Tam ergo huic, quam illis præcepit Rex, ut Gentilicas sordes, & quicquid impietate ole- ret, efferrant è templo, quæ ipse abolevit flammis in torrente Cedron, & eorum puluerē procul inde auferri iussit in Bethel. vsque adeo horruit ini- quitatis vasa, & impietatis instrumenta, ut neque illorum cineres prope ciuitatem & templum esse voluerit. Neque minus seuerè accepit aruspices, & quoscunque alios, qui ad impias aras sacrificabant, illos enim sicut alia impura sacraria, siue obscenæ libidinis diuerticula, exterminari ius- fit. Cur enim existimaret Rex prudentissimus sublatum iri religionem impiam, si illius Antisti- tes & magistri viuerent.

Et proiecit super sepulcra vulgi.] Aut verū plan- 6. tarant lucum in templo, qui peregrinam in illud Quod sepul- crū vulgi. religionem induxerant, aut etiam adumbrarunt expressa ad illius similitudinem noua forma. Il- lud tamen quicquid esset extra templum efferti iussit Rex, & in valle Cedron flammis dedi, & in cineres

cisores redigi, quos sparsit illo in loco, vbi vulgares homines tumulari soliti, qui locus Sepulcra vulgi dicebantur. Quis autem locus ille fuerit, diximus in nostris commentariis super Act. ad illud c. 1. v. 9. *Ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Achel dema.* Vbi diximus in Topheth, id est, in valle Cedron fuisse commune pauperum sepulcrum, quod a nobis Coemeterium dicitur: quod probabam ex eo Ieremiæ c. 19. v. 11. *In Topheth sepeliuntur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.* Quem locum Septuaginta bis eodem capite vocant *Polyandrium*, quod multorum sepulcrum significat, id est, commune, aut vulgate.

A vallabant pueræ Babyloniam ad eandem negotiationem, & quæstum, de quibus nos pluribus in commentariis super Baruch, ad illud c. 6. vers. 42. *Mulieres autem circundatae funibus in viis sedent.* Hæc mihi magis probabilia, sed fortasse domunculae illæ ex arborum frondibus, atque ramis texebantur, quales sibi ab obvia materia construunt, qui in sylvis agunt, locisque nemorosis, ut species saltæ lucorum appareret in adumbrato luco, quæ formarat in templo Iudeorum inanis, & stulta religio.

^{10.}
Sacra loca quomodo et contaminata.

Congregauitque omnes sacerdotes de ciuitatibus Iuda, & contaminauit excelsa.] Plurimi ex sacerdotibus ex genere Leuitico, qui alias ministrare in templo poterant, per varias partes Israëlitici populi dispersi, ad impias aras sui generis, atque ordinis obliiti sacrificabant. Hos igitur omnes congregauit, & ne rursus ad Gentilicos ritus & sacrificia redirent, contaminauit loca, reddiditque profana, ac sordida, quæ prius, quasi religiosa forent, venerabantur. Est autem verisimile eos, qui idolis honores exhibuere diuinos, & quasi cælesti aliquid amplexabantur, id curasse diligenter, ut loca essent munda, honesta, & pulchra, cœlesti denique maiestate nō indigna. Talia videntur fuisse illa, in quibus exitata fuerunt altaria, construæta templa, & ipsi etiam luci, quos ad facros usus stulta Gentilium religio destinauit. Illa verò loca tunc contaminantur, quando ad vulgates, & sordidos usus conuertuntur, ut si mutentur in armatorum caulas, in latrinas, aut in loca, in quæ publica congerantur stercore, aut in illis sparsit, aut cremauit mortuorum ossa, sicut infrâ v. 20. vbi super altaria, quæ contaminare voluit, ossa humana combussit: & v. 14. loca, vbi lucos exciderat, mortuorum ossibus impleuit.

Vers. 9. *Veruntamen non ascendebat sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem sed tamè comedebant Azyma in medio fratrum suorum.]* Sacerdotes illi qui manus suas impuris sacris, & Gentilium victimarum nefario sanguine polluerant, non sunt permitti ad altare Domini ad opus aliquod sacrificale, aut sacrum accederent: nefas enim putabat religiosus Princeps tractari ab illis manibus sacra, quæ exactanda prius ministeria trahauissent. Nihilominus sacerdotes istos, quos ab altari sumimouit, noluit à templo omnino, & à quibusdam comodis, quæ sumuntur è templo, prorsus arcere. Quomodo enim illi vitam possent honestè traducere, quibus in promissa terra nullus esset à lege funiculus, nulla pro alenda familia certa possessio. Quare permisum est ut in medio fratrum suorum, id est, inter eos, qui sunt ex genere Leuitico, comedenter azyma, id est, ut bene putat Abulensis, his omnibus vescerentur quibus alij poterant, quibus communis esset ab Aarone familia. Est enim in Scriptura non infrequens, ut per Syncedochem una species sumatur pro multis, immo & pro omnibus: quomodo Zacharias cap. 14. v. 16. festum tabernaculorum pro omnibus Hebræorum solemnitatibus adhibuit.

E Hoc porrò optimi Regis consilium probauit Deus Ezech. c. 44. à v. 10. vbi Leuitas illos amoueret ab altari, qui securi sunt decem tribus, & aureis vitulis dinobis exhibuerunt honores: non tam ab aliis ministeriis, quæ exercentur in templis, longè tamen à sacrificiis, & altari, quæ ministeria nō longè differunt à profanis. Sic enim ibi, *Erunt in sanctuario meo editui, & ianitores portarum domus, & ministri domus, ipsi maestabunt holocausta, & victimas populi.* Editui illi sunt, qui adem, id est, sacra loca custodiunt, curantque ut quæ ad sacrificia

^{12.}
Quidam sacerdotes sic remouentur ab altari, ut tam ab altari suspen-
tentur.

Æditi qui.

In templo Solymitano profibula.

Luci cur iuxta idiorum aras.

Lucorum species in templo.

7. Vers. 7. *Defruxit quoque ediculas effeminatarum, quæ erant in domo Domini.*] Eo usque progressa fuerat Regum impietas, & Sacerdotum incuria, ut in ipso etiam templo quæstum facerent prostituti corporis non solum meretrices, sed etiam meritorij pueri, idque in lustris, seu lupanaribus, in quibus execrabilis illæ merces proflarent venales. quod etiam accidit aliis temporibus lib. Machab. 2. c. 6. v. 4. & cap. 4. v. 22. Neque in eo obscenio quæstu quicquam intererat inter templum Veneris, aut Cybeles, & templum à cuius aditu arcebantur impuri.

8. *Pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.*] Ideo Gentes in lucis, & inter condensas arbores excitarunt altaria, & suas ibi victimas immolarunt, aut aliud sacrificiorum genus obierant, ut postquam indulsissent ventri, disque Genialibus, Veneri se, aut turpiori traderent intemperantiae, facile ad condensas arbores, lucorumque obscuras umbras, tanquam ad occulta, & ideo opportuna magis libidinū diuerticula transirent. *Quod ne fieret, cauit seuerè Dominus Deut. 16. ver. 21.* Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. Cuius præcepti causā reddit Philo lib. 2. de Monarchia parū à principio, vbi docetur intra templi ambitum lucus nullus sit, & inter alias causas hanc etiam addit: quia syluarum condensa maleficis conueniunt, & latebræ sunt insidiis opportuna, & addere posset multo verius, quia ibi tam vita, quam pudori parati posse sunt tam à sanguinariis, quam à lenonibus, & scotatoribus infidiae. Quo modo deorum tempora prostitula quædam fuerunt, vbi quæstus fieret ex venali corpore, neque magis pura quam meretricius fornix, diximus pluribus in nostris commentariis super Osea ad illud c. 4. v. 13. *Super capita mortuum sacrificabant*, vbi de montibus & lucis plurima.

9. *Pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.*] Domunculas luci quidam esse putant velamenta quædam, ex quibus tabernacula furent, in quibus meretrices feminæ, aut pathici pueri suæ celarent ab omnium oculis impudentiam. Neque enim credo ita omnes, qui in lucis scortabantur, pudorem profligabant, ut suam turpitudinem, maximè quæ esset à mascula libidine, in omnium oculis inuerecundè defigerent. Non loquor de illis qui non tam ex venereo concubitu voluptatem capiebant, quam ex aliorum oculis. Ut igitur obscenos illos motus, & homine ingenuo prorsus indignos ab hominum oculis auerterent, obtenebant velū aliquod, quod inter se, cum operarentur scortationibus, & aliorum oculos interponerent, quæ instar obtineret tabernaculorum. Hæc autem, ut opinor, faciebant læræ quædam, aut turpium amorum conciliatrices, quare hoc erat venale studium, ut aliorum siue aduersæ, sine auerse libidini seruirent. Neque ab his domunculis longè aberant funiculi illi, quibus sua lustra

sacerdotes a ministerio sacre arceri possunt. A ficia pertinent, apta sint, & prompta, neque tā ipsi sacrificant, quā sacrificantibus assistunt, seruiūntque sacerdoti, magis quām altari. Minister domus aliquid significat amplius, & ad omnia se latē porrigit, quā servile in templo studiū, atque operam requirunt. Qualia sunt, quā ad rem culinariam spectant, atque lignariam; item vt domus perpetuō munda sit: omnia denique quā in prīuatis domibus ancillæ curant, aut mediastini serui. Similia habemus in Ecclesia decreta, quā sacerdotes aliquando lapsos ab altioribus functionibus arcent, & inferioribus alligant ministeriis. vide dist. 50. Can. Qui sub gradu, & Can. Presbyteros. Plura nos in nostris commentariis super Ezech. ad locum de quo nuper. Neque defuit in scriptura, quid ad hoc cōfiliū sequeretur Iosias. Nam Leu. c. 21. v. 21. Si quis ex genere Aaron non potuerit ministrare, quia deformitas illū à sacro prohibet ministerio, non tamen à commodis accetur, quā capiūt alij, qui munus aliquod in templo possunt obire legitimē. Sic autem ibi, *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedit offerre hostias Domino, nec panes Deo suo, vegetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario.*

13. Vers. 11. Abstulit quoque equos, quos dederat Reges Iuda, Soli, &c. iuxta exedrā Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim, currus autē Solis cōbussit igni.] Diximus suprà c. 2. vnde Gentilium fabulæ Soli currus, & equos attribuerint. quas amplexi non nulli ex Regibus Iuda, Soli equos, & currus in loco omnī sanctissimo consecrarent. Quod etiam sub hoc ipsum tempus, & aliis postea sacerdotiis fecere Gentiles. Nā Persæ equos consecrarent Soli, cōsque in illius honorē totos concremarunt. Ita Xenophon lib. 8. Cyropædia non semel, vbi currus ponitur Soli consecratus. Idem tradit Strabo lib. 15. & Ouidius lib. 1. Fastorum immolari canit equum Hyperoni, qui idem est sol.

Placat equo Persis radius Hyperiona cinctum

Ne detur celeri victima tarda Deo.

In pompa quadā iunioris Cyri, tauri, & equi inducuntur, illi, vt immolentur Ioui, hi autem Soli. Primum, inquit Xenophon suprà, agebantur tauri Ioui: post hōnes autem agebantur equi ad Solis sacrificium: Post hos autem educebatur currus albus coronatus ingo aureo, qui esset Ioui sacer: post hūc agebatur etiam Solis currus candidus, & is coronatus ut anterior. Sic puto ad Gentilicos ritus in templo fuisse currus egregio opere perfectos, & in his equos ex pretiosa materia, & arte mirifica elaboratas, qui videtur curru illum trahere, cui essent alligati: quod Solis esset insigne, quod in templo ad aram excitatā Soli visebatur. Illi verò equi, qui ad introitum dicuntur esse templi ad exedrā Nathanmelech, viui erāt, qui in stabulis illic nutriebantur, vt suis temporibus immolarentur Soli, & vt de Persis nuper dicebamus, viui cremarentur. Ita existimo: si enim equi lignei forent, aut ex ea materia, quam ignis solueret, aut cōbureret, quemadmodum currus combustus esse dicitur igne; sic etiam combusti dicentur ex eadē materia equi ad currū alligati; at sublati dicuntur equi, & crematus currus. Translati sunt ergo equi, qui iam deuoti fuerant flāmis, & cultro ad meliores vsus. Alij aliter meditantur, hic mihi modus magis videtur expeditus. Vbi vulgatus, iuxta exedrā, Hebr. est *לִסְתָּח*, pro quo vulgatus vertit, interdū cubiculum, interdū gazophylacium, non inquam exedram. Est autem exedra locus vbi sedes sunt, in quibus fieri potest, & solet hominum consensus. Quemadmodum in alio genere

A non admodū dissimili dixit Vitruvius lib. 5. c. 11. Constituuntur, inquit, tribus porticibus exedrā sparsa, habentes sedes; in quibus Philosophi, Rethores, reliquiae, qui studiis delectantur, sedentes disputare solent. Vbi vulgatus Pharurim, Pagninus vertit, in suburbanis, vbi nimis erant equorum pascua. Quod argumento cuilibet esse debet, vt credat equos non esse artificiales sub iugo artificialis currus, sed naturales ad sacrificiū, vt diximus, destinatos.

Vers. 13. Ad dexteram partem monis offensionis.] 15.

Hic mons est Oliueti, quod nomen sumpsit ex idolis, quibus Salomon, vt vxoribus placeret, quā illius cor miserandū in modum subuerterant, extruxit aras, & pronus supplicauit. vide lib. 3. Reg. c. 11. vbi de Salomone iam nimis vxorio, & delirante plurima. & c. 18. lib. Reg. quare hēc sacraria ab Ezechia sublata, atque contaminata fuerint.

Vers. 14. Contrivit statuas, & succidit lucos, reple-

uitque loca eorum ossibus mortuorum.] Pollutus cen-
sebatur ille, qui mortuos tetigisset, cui certā ex-
piationis formam religio præscribebat; sic etiam
pollutus censebatur locus, vbi mortuus cecidi-
set: ita opinor, vt locus hic indicat, licet ex Scri-
ptura nihil ea de re certum inuenierim. Pollueba-
tur Nazaræus, si mortuorū interesset funeri, im-
mō si corā ipso aliquis subito cecidisset mortuus.

Num. c. 6. Contaminabatur terra, si qui affixus erat cruci, non deponeretur ex illa. Deut. 21. v. 23.
*Non permanebit cadaver in ligno, sed in eadem die se-
pelietur, &c. & nequaquam contaminabit terram.* Immō

C & diem suspenso cadauere contaminari, & de illius sanctitate aliquid decedere, probat illa sollicitudo, qua curarunt Iudæi Ioan. 19. v. 31. ne remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati. Quod etiam obseruatū à profanis docuit, aut saltē indicavit Virgiliius, qui incestari, aut contaminari dixit classem, quod etiam de exercitu diceret, inhumato cadauere: sic autem ille libro 6. Aeneidos.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,

Heu nescis, totāque incestat funere classem.

Vers. 15. Insuper & altare quod erat in Bethel, & 17.
excelsum, quod fecerat Ieroboam.] De hoc altari egimus latē lib. 3. c. 13. vbi prædicta sunt à Prophetā, de quo statim, quā nunc ad vnum Iosias impleuit. Osse enim hominū ē tumulis effossa in altari cōbussit, & sacerdotes, qui priū ibi sacrificarant, immolauit, id est, vt opinor, illorū osse ibi combussit. Neque enim sacerdotes, qui Ieroboam tēpore accenderunt thura, à Iosia, qui multis post sacerdotiis regnauit, immolari potuerunt. Incendere autem osse humana super altari, magnam esse sa-
crorum locorum ignominiam, ex eo loco intel-
ligimus. De hac re vide ad illum locum plura.

Vers. 17. Et ait: *Quis est titulus ille, quem video?*] 18.
Scrubabatur, vt apparer, Iosias sepultra omnia, &
osse inde extracta, aut spargebat per loca, quā magna idolatriæ religione coluerat, aut in ci-
neres super altaria redigebat. Dum lustraret omnia,
vidit tumulū supra reliquos speciosum ma-
gis, & in quo maius aliquid conditum fuisse sus-
picatus est. Titulus inter alios vsus hunc etiam
habet præcipuū, & fortasse proprium, vt memo-
riam tueatur, atque conseruet, eorū, quibus alio-
qui ætas obliuionem obduceret, qualia sunt mo-
numēta, scripturæ, imagines, in quibus quodam-
modo viuunt, qui iam pridē ē viuis excesserunt.
Reliquit, credo, senex ille Propheta, qui lib. 3.
Reg. c. 13. de Samaria venerat, quīque Prophetam
verum in fraudem primū, deinde in leonis vn-
gues, & mortem induxit, aliquod in sepulcro, in
quo

quo Prophetam Domini considerat, & in quo se quoque sepeliri voluit, signum, quod docebat posteros, latere ibi viri sancti ossa, ne quis illa inde extraheret. Quo consilio suis etiam ossibus cauere voluit, quæ iuxta Prophetæ verba, quibus ipse credebat non defuturum pondus, effodienda suspicabatur, & super altare cum aliis ignominiosè comburenda. Cum autem Prophetæ ille sene locuples esset, & potens, utpote Ierooboamo familiaris, sine dubio curauit, ut tumulus ille, quæ sibi cum alio Prophetæ voluit esse communem, præter ceteros aliquid præ se ferret eximiū. In nobilioribus autem sepulcris statuæ erigebatur, aut aliquod insigne, quod ostenderet aliis, quid ibi lateret. Sic apud Virgilium Æneas lib. 6. Æneid in Misleni sepulcro renum posuit, & tubam; sic Tullius in Archimedis tumulo Sphæram se dicit inuenisse, quæ tanti viri ingenium, & artem declarabat.

19. Vers. 18. *Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Samaria.*] Cœsecutus est Samaritanus ille Prophetæ quod designarat animo: ut enim alterius Prophetæ ossa ad Regis imperii loco mota non sunt, sic etiā neque alia, quæ in eodem pariter tumulo claudabantur. Hic suo more nugatur Rab. Salomon, dum causam querit, cur in illo tumulo, magis quam in aliis habet Iosias, & ait vidisse Regem ex una parte tumuli, ex ea videbilem, in qua Samaritanus sene locatus fuerat, herbas enasci spinosas, frætentes, in quibus nihil esset speciosum, & utile; ex alia vero, vbi situm erat Prophetæ cadaver, herbas fragrantes suauiter, aspectu pulchras, salubres quasi ex vbere solo, quæ res illi desiderium iniecit, explorandi quænam esset in tam breui ac simili spatio tanta diuersitas. Sed erat, sine dubio, quæ regios oculos cepit, & scienti excitauit studium, species noua, qualis in aliis tumulis non apparebat.

20. Vers. 20. *Et oculis universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria: & combusit ossa humana super ea.*] Profectus fuerat Iosias in Samariā, non ita ab antiquis possessoribus vacuā, etiā venisset in Assyriorum potestatē, ut non remanerent aliqui de genere Israëlitico, qui cum ante fugā alio, atque alio forent dilapsi; postea tamen cum hostes in tua regna receperissent, ad relietas sedes remigrarunt. In his fuerunt sacerdotes, qui vitulis aucteis, & aliis Gentium simulacris sacrificauerant. Hos Rex super illas aras immolauit, quas ipsi prius in honore dæmonis imbuerant victimarū languine. Aliorum autem, quos ait aris præfecit Ierooboamus, aut qui illis deinde in eodem munere successerant, qui tamen iam decesserant, effudit ossa de sepulcris, & super altaribus vniuersa combusit. Hoc autem est, opinor, quod de Iosia prædixit Prophetæ lib. 3. Reg. c. 15. v. 2. *Exclamauit, inquit, vir Dei contra altare in sermone Domini, & ait: Altare hoc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui David Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendent, & ossa hominum super te incendet.* In his ossa intelliguntur eorum sacerdotum, qui iam pridem esse desierunt.

21. Vers. 21. *Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phasæ Domino Deo vestro.*] Ex libro, qui paulo antea repertus fuerat, didicit Iosias, quid lex prohibebat, quorum huc usque plurima legimus a lege relegata procul, & damnata severè: at nunc ad illa regius incumbit animus, quæ lex iubet, quæque superioribus annis Regū, & sacerdotū, sive incuria, sive impietate intermissa fuerant. Accidit autem percommodè, ut dies adessent azymorum, qui apud Hebraeos sunt celebritatis præcipua, in qua inge-

A illud beneficium renouatur, quæ populus Ægyptum iugum ex suis cernicibus excusit. Quo tempore offertur agnus, qui dicitur Phasæ, à quo reliqua sacrificia cuiuscumque aut generis, aut multitudinis fuerint, dicuntur Phasæ. Sicut dies illi ab azymis, id est, à panibus sine fermento dicuntur Azymorum. Quod autem eo tempore septemdiiali plurima offerrentur sacrificia, quæ dicerentur Pascha, res est nota, sicut etiam totum illud appellari Pascha à sacrificio præcipuo, quod septem illos azymorum dies inchoabat, Deuter. 16. *Immolabis Phasæ Domino Deo tuo, de onibus & bovis, in loco quæ elegerit Dominus.* Ex quo intelligitur quomodo postquam iam Christus, & totus Iudeorū populus comedissent Phasæ, seu Pascha, sequenti die, inde noluerunt intrare in Prætorium, ne ex Gentiliū congressu contaminarentur. Ioan. 18. v. 28. *Et ipsi non intraverunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Nomine autem Pascha, seu Phasæ ista intelliguntur sacrificia, quæ septem Azymorum diebus immolantur.

Vers. 22. *Nec enim factum est Phasæ tale à diebus 22. Iudicum.*] Si in Phasæ tantum intelligeremus agnum, qui ad decimam quartam lunam immolatur, non poterat esse locus huic comparationi, immò numquā fortasse magis exile, ac tenuē fuisse Phasæ, cum decem tribus apud Assyrios exularent, ex quibus non pauci ad hoc tantū sacrificiū conuenerant Hierosolymam: & duæ aliæ variis bellorum euentibus essent imminutæ, & pro capitum numero immolanda esset agnorū multitudo. Comparatio autem facta est inter alia, quæ septē Azymorum diebus immolabantur, à quibus definitus numerus nō erat: sed multa relinquebantur integra hominum arbitrio. Quām grāde fuerit huiusmodi Phasæ à Iosia comparatum, habemus lib. 2. Paral. c. 35. vbi Rex iuxta legi præscriptum quām accuratissimè disposuit, tam quæ ad sacerdotum facrorū inque, ac templi munditiam, quām quæ ad reliqua omnia pertinebant, quæ sacrificiales exigunt ritus: deinde commemorantur, quæ à Rege & aliis populi principibus, ex ouium, hædotum, atque iaurorum gregibus collata sunt. *Dedit, inquit, Iosias omni populo, qui ibi fuerat inuentus in solemnitate Phasæ, agnos, & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia.* Alij autem pecora commixtim duo millia sexenta, & boues trecentos. Deinde alij quinque millia pecorum, boues quingentos. De hoc Phasæ iterum lib. 3. *Ezdræ cap. 1.*

Vers. 24. *Sed & pythones, & ariolos.*] Hucusque de sacrificiis seu instaurandis, seu abolendis, iuxta id quod religiosus princeps ex Deuteronomij volumine didicerat. Nunc alia sustulit monstra, quæ aut verā retardabant religionē, aut falsam inducebāt. Pythones dico, augures, diuinos, idolorū imagines, & alias abominationes, & sordes, quæ terram promissionis infecerant. Histor. Scholast. in 4. Reg. c. 36. vestigia quædam serpentis ænei, quem contriuera Ezechias, dicit esse sublata.

Vers. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui 24. reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, &c.*] His similia dicta sunt de Ezechia supra c. 18. v. 5. ibi docuimus quomodo hæc componi possint, quæ sibi vicissim aduersari videntur. Eō sanè totus incubuit Iosias, ut Dei gloria esset ubique maior, neque aliquid esset in toto regno quod illam aut obscuraret, aut impediret, quæ in re nemo cum illo videtur comparandus. Cū enim de uno Deo diu atque frequenter cogitaret, neque animum in eam curam intentum metus, aut difficultas retardaret, excidit funditus, quæ Reges alij, etiam si in his numeris

*Quæ in re
Iosias Regi-
bus aliis
melior.*

numeres Ezechiam, seu deformarunt leuiter, seu prorsus intacta reliquerunt. qualia fuerunt tēpla, exoticæ atque impiaæ Religioni à Salomone constructa. Excelsa, lucos, & aras, quæ non solū in suo, sed etiā in alieno regno, subuerit, eaque dispersis, atque combustis humanis osibus ita fœdauit, vt ad nauseam potius, & contemptum, quam ad Religionem, & voluptatem allicerent; cùm verò ad ea, quæ Religio & pietas commendabat, animum adiecit, tale instituit Phæc, quale non fuerat multis antè sacerulis auditum. Hac in re nullus superiorum Regum videtur illi fuisse similis.

25. Vers. 26. Veruntamen non est auersus Dominus ab
ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iu-
dam.] Temperauit quidē Dominus propter egre-
gia Iosiae merita, non tamen omnino depositit fu-
rorem suum, propter peccata Manasse, quae antea
multorum animos occuparant, neque dum ex Iu-
dæa finibus excesserant. Cuius rei documentum
dederunt graue omnes Iosiae filij, qui cùm ex assi-
dua, atque domestica disciplina, veram religionem
haurire potuerint, maluerunt Manassem primis
regni sui temporibus sceleratum, atque impium,
quām parentem optimum habere doctorem. Qua-
re statuit Deus eodē modo reliquas duas tribus à
suis finibus ablegare, quo decē alias paulo ante ex-
torres, miserasque trāstulerat. Quomodo verò po-
steri dici potuerint peccata luere Regis Manasse,
diximus in nostris commentariis super Ier. c. 15.
v. 3. ubi populus luisse dicitur Manasse peccata. Fe-
cit tamen Deus ne prius populus ille exiliū susti-
neret, & cædem, quām ē viais Iosias excessisset, vt
quod illi promiserat c. 22. v. 20. per Holdam Pro-
phetissam, impleret, à qua audierat, Colligeris ad se-
pulcrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia
mala, qua inducturus sum super locum istum.

- Vers. 29. In diebus eius ascendit Pharaon Nechao
Rex Aegypti contra Regem Assyriorum.] Huius Regis
obscura est historia, & vix illius apud externos
auditum nomen. Herodotus lib. 2. longiusculè à
fine, meminit cuiusdam Regis Aegypti, quem ap-
pellat Necum, qui bellum suscepit contra Syros
euentu secundo. Aggressus est autem Regem Af-
syriorum, ut illam, opinor, vlcisceretur iniuriam,
aut resarciret plagam, quam nuper ab Assyriis sub
Senacherib acceperat Aegyptus. Fecit autem ani-
mos Aegyptiis, ut potentem aggredierentur ho-
stem, à quo dure aliquando concisi fuerant, quia
audierant res Assyrias in singulos dies debilitari
maxime, ex quo sub Senacherib tot militū millia
corruerunt percussa diuinitus. Tunc etiā quia iam
Chaldaei, ut est verissimile, Assyriam quoque bello
tentauerant, quam paulo post subiecerunt sibi, &
eius imperium in Babyloniam transtulerūt. Item quia,
ut refert Historia Scholastica, Babylonij, & Medi
ab illa Monarchia defecerant. Quare his subla-
tis auxiliis, minus erant quam antea formidandi.
Cum autem ex Aegypto ad Euphratem, quō Agy-
ptia progrediebatur acies, transeundum esset per
Iosiac regnum, occurrit Aegyptio armatus Rex, ut
aditū illi ad ulteriora præcluderet; & quidem hor-
tante Aegyptio ne sibi molestus esset pergeret, quā-
do sibi cum illo nihil esset negotij, sed tota illa
belli moles Assyrium peteret hostē communem.
Persistit tamen in sua mente obstinatō Iosias: quæ
res illi prorsus exitio fuit. Nam in primo congres-
su cum Aegyptiis, dum incutius agit, à sagittariis
confixus interiit. Hęc pluribus lib. 2. Paral. c. 36.
vbi legimus dixisse Pharaonem sc̄ à Deo missum,
iussūque ut festinatō ad aliam domum castra
moueret. Quod vere Aegyptium dixisse probat il-

A Iud, quod statim subditur vers. 21. Noluit Iosias reuerteri: sed preparauit contra eum bellum neque acquieciuit sermonibus Nechao ex ore Dei.

Ibidem habemus quomodo Ieremias de Iosia^e morte carmen considerit funebre v. 25. *Ieremias maximè, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israël.* Eiebant, ut apparet, annuerlatiae exequiae in Ierusalem in honoré Iosiae, cuius propter egregia merita, virtusque sanctitatem dulcis erat, venerabilisque memoria. De qua Eccl. c. 49. *Memoria Iosiae in compositionem odoris facta opus puramentari in omni ore quasi mel indulcabitur eis;*

pigmentary: in omni ore quatuor mel inanacavitur eius memoria, & ut musica in conniuio vini. Vbi breve quodam Iosip habemus sed illustre planè & divinum

B dam Iosiae habemus, sed illustre plane, & divinum
elogium. Quarunt hic aliqui, quænam sit illa la-
mentatio, quæ in Iosiae funere condidit Ieremias.
Quidam illas lamentationes, seu threnos esse cen-
sent, quos in quinque capita distributos legimus
ad finem Ieremiæ Prophetæ. Quæ sententia suos
habet patronos, & in his Hier. in c. 12. Zachariæ,
quem Rabbanus sequitur, & Maldonatus, tenet
aperte Chaldaeus, & indicat Iosephus lib. 1. Anti-
quitatum c. 16. dum ait; extare adhuc epicedium,
quod carmine lugubri de Iosiae morte composuit
Ieremias. Sed est communis omnium fermè sententia,
aliud tempus spectare lamentationes hasce: illud
nempe, quod habuit gens Iudea, vel cù obsessa est
ab hoste Babylonio, vel cùm è patriis finibus in
exilium abducta iniuriis omnium, atque ludibriis

C patuit. Quod ex lamentationū textu, atque ordi-
ne coniectare quisque nō difficile poterit: narran-
tur quippe multa, quæ in Iosiae mortē, Pharaonis
que victoriā quadrare nullo modo possunt. Neque
enim tunc omniū ordinum atque ætatū homines
ita vexati sunt, aut asperè, aut impudenter, sicut in
his threnis plangit Ieremias: nō famelicæ matres
filiorū elixas carnes in sua rursus viscera condide-
runt. Neque gentes ingressæ fuisse traduntur in
sanctuarium, eversum templum, temerata sacra, &
plura alia, quæ attentus lector facile cognoscet
sub Iosiae mortē, passā non esse Iudæorū Gentem.

Alij illud huius cap. 4.v. 20. *Spiritus oris nostri* 28.

Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra sua viuenimus in Getibus; de Iosia im-

D maturè sublato dictum esse putant. Ita Hier. in c.
12. Zachariæ ad illud. *In die illa magnus erit planetus
in Ierusalem: & omnes qui Threnos hosce de Iosia
accipiunt. De quorum numero sunt S. Thomas, S.
Bonaventura, Rabbanus in Threnorū procēmio,
& Hugo, Lyra, Vatablus, Chaldæus. Quod etiam in
corum verborum explicatione mihi non impro-
batur, atque ideo in commentariis super Threnos
illius loci geminā expositionem adhibui, alteram
de Iosia, alterā de Christo. Sed ut illa de Iosia ce-
cinerit Propheta, nō puto eam esse lamentationē,
de qua modō, aliquid n. longius, & maius indica-
tur, quā quod eo Threnorū loco plāgit Ieremias.*

Porro planctum illum super Iosiam magnum 29

E fuisse, docet illud Zachariæ c. 12. v. 11. *In die illa Plantus magnus erit plantus in Ierusalem sicut plantus Adademmon in campo Mageddon*: in quo campo cecidit Iosias. Vide quid nos ad illud caput Zachariæ. Carmen illud funebre scriptum esse dicitur in lamentationibus. Crediderim antiquis Hebreorum temporibus lamentationes fuisse cōpositas, & in ritualibus seruatas monumētis, quæ in vulgaribus, aut etiam honestioribus canerentur exequiis solēni atque legitimo ritu. Quales sunt cōmunes illæ de quibus Ieremias c. 22. v. 18. *Non plangent eum, & va frater, & va soror, non concrepabunt, & va Domine,*

& ve*in*clyte. Quæ lamentationum quarundam videntur initia illa à cognatis mortui, hæc à lamentatricibus, aut alienis iterari solita. Alia erant non communia omnium, sed aliquorum propria: quæ propter personæ dignitatem, aut verborum pondus ad dolorem, & fletum seruabantur à canticis, & nonnumquam personabant in hominum conuentibus; sicut nos præclara heroum gesta aut dura Principum infortunia musicis alligata numeris, aliquando concinimus. Talia videntur suis se quæ Dauid cecinit in morte Saulis, & Ionathæ, & in exequiis Abner. Et si verum est quod tradūt Hebræi in Sederolam c. 28. hoc etiam carmen lugubre de Sedecia, cui extrema contigerunt incommoda. *Heu! qui mortuus est Rex Sedecias, bibens facies omnium etatum.* Sic etiam carmen hoc tum quia de Iosia, tum propter auctoris sanctitatem seruatū est in lamentationibus, & traditum canticis, qui illud ad lugubres numeros cōcinerent. Esse autem pro rerum diuersitate diuersos quoque cantandi modos, cùm alij exhilarent, alij contrahant, alij accendant, & acuant, alij remittant, & temperēt animos, & ipsa docet rerum natura, & in Scriptura apparent non obscura vestigia. Ierem. cap. 9. vers. 20. monet Propheta ut ad plorandum ciuitatis imminentem ruinam, filias suas lamentum doceant, id est, plangendi artem, & ferale cantum.

*Varij apud
Hebreos cā-
tiorum nu-
meri.*

30. *Vers. 30. Tuliique populus terre Ioachaz filium Iosie, & unixerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.*] In his quæ supersunt ad finem vñque libri, nihil ferme audimus, præter illa quæ Iosia filii contigerunt, qui ferme omnes regiam obtinuerūt potestatem, in eo profligati infelices, quod omnes ignominiosè de regno depulsi sunt, & multo magis, quod à paternis moribus, & disciplina degeneres prodiderunt Religionem patriam, & ad execrandum idolorum cultum defluxerunt. Lib. Par. 1. c. 3. quatuor Iosiae numerantur filij. *Primogenitus Iohanan, secundus Iacim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* Hic porrò Sellum, qui fratum numeratur ultimus, primus regnauit omnium. Quod omnino videntur esse certum ex Ierem. c. 22. v. 11. vbi cùm loqueretur de Iosia filiis, quo tempore regnabat Iacim, & in vinculis tenebatur Ioachaz, non iam amplius reuersurus in patriam, & in solum, à quo deiectus est, dixit. *Hec dicit Dominus ad Sellum filium Iosie Regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto: non reuertetur hic amplius, sed in loco, in quo transilii eum, ibi morietur.* Vocatur etiā Iechonias sicut alij, qui ex Iosiae genere propagati sunt, vt diximus suprà c. 14. & constat ex lib. 3. Esdræ c. 1. qui licet extra canonem sit, non tamen exiguum habet auctoritatem. vbi eadem pene, quæ nunc de Ioachaz numerantur verba. *Et assumentes, inquit, qui erant de Gente, Iechoniam, filium Iosie constituerunt Regem pro Iosia patre suo, cum esset annorum triginta trium.* Et regnauit super Israel mensibus tribus. Et amouit eum Rex Ægypti, ne regnaret in Hierosolymam etiam. Et constituit Rex Ægypti Iacim fratrem eius Regem Iude. In annorum numero hæc error est, nam lib. 4. Reg. non triginta trium, sed viginti trium annorum esse dicitur.

31. *Quamuis Sellum, qui & Ioachaz ultimo inter fratres loco numeratur, non tamen ultimo inter fratres natus est loco, sed medius inter Iacim & Sedeciam. Primus fuit Iacim, qui & Heliacim, qui vigesimo quinto ætatis anno regnare cœpit, tribus nempe mensibus post Iosiam. Secundus Ioachaz, qui tertio ante Iacim menœ regnush*

Gasp Sancti Com. in lib. Reg.

A iniit, natus ipse annos viginti tres. Tertius Sedecias, qui post Iacim, & Iechoniam regnum, quod supra vñdecim durauit annos, regnum suscepit annos natus vnum, & viginti. De Iohanan nihil hæc dico, quia de illa nihil amplius inuenio, quā nomen, & genus, aut quia viuente patre decepit, aut quia cùm ad regni splendorem non ascenderit, vitam egit obscuram, & ignobilem. Neque quicquam aggressus est eiusmodi, vt in sacros annales referri debuerit. Hec nunc de Ioachaz, de aliis suo loco nobis necessariò dicendà non pauca.

Vers. 31. Viginti trium annorum erat Ioachaz cùm regnare cœpisset.] Cur Ioachaz, cùm Ioacimo fratre minor esset natu, prælatus tamen in regno fuerit, ea videtur verisimilis ratio, quia strenuus videbatur, & acer, quique videretur contra Pharaonem potentissimum hostem tueri posse regnum, in quo videbantur intenta Ægyptiorum tela. Quod, vt statim magis explicabimus, docuit Ezechiel c. 19. sub Leonis metaphora.

Vers. 32. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia que fecerant patres eius.] Non hæc de Iosia loquitur, aut de Ezechia, quorum antea sanctitas grauissimis est commendata præconiis; sed de Amon, Manasse, & aliis, qui vita genere, & morum turpitudine nihilo fuerunt Gentili populo meliores. Quare hoc loquendi modo Religionis abiecta, & profligari pudoris turpitudo latè significatur. Quanta verò illius fuerit in omnes crudelitas, quā barbarus dominatus, explicuit Ezechiel optimè c. 19. v. 3. inducta Leonis allegoria in qua pulcrè Ioachaz declaratur ingenium. Quæ locum iisdem verbis huc transferemus, quibus illum in nostris commentariis super Ezechiel explicuimus, vbi cùm de Hierosolyma, quasi de leæna egisset, subdidit statim *Et eduxit vnum de Leunculis suis, & Leo factus est, & didicit capere prædam, & hominem comedere.* Quem locum sic nos ibi commentabamur.

Qui hoc loco vocatur Leo, est Ioachaz, qui etiam vocatus est Sellum, quem populus pro Iosia à Pharaone occiso regno præposuit. Quod sane diuturnum non fuit: nam tertio postquam regnum inierat mense, ab eodem Pharaone regno pulsus, & captiuus in Ægyptum abductus est, vbi vitam egit tristem, & ignobilem, eo tamen tempore, in quo cum regia potestate fuit, non atarè solum, sed etiam crudeliter, & impie vixit, vt habes lib. 4. Reg. c. 23. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia, que fecerunt patres eius.*

Hi verò, quorum mores imitatus fuisse dicitur, sanguinarij fuerunt, auari, & nefarii idolorum sacris impensè dediti. Attribuit autem studio, atque potentia Ioachaz id, quod præstat Leoni regius spiritus, & sitiens sanguinis furor. Fertur enim in prædā, cāmque

vt vestiget, & capiat, agros omnes, ac sylvas asperitu suo, fremituque cōturbat; atque in eā vbi primū inciderit, cōcerpit & vorat. Hæc omnia fecisse traditur Ioachaz, qui vt avaritiam explaret suā aliorū opibus; sicut Leo vrentē rabiem alieno sanguine, prædas egit, aliorūque fortunas ad regios fastus, atque usus cōuertit. Hoc autē est homines deuorare homines quid?

*Ioachaz cur
Leoni com-
paratus.*

*Deuorare
homines
quid?*

Z Z Z

*34.
Ioachaz
breue regnū
& misera
conditio.*

*Ioachaz
crudelitas
& rapina.*

*Ioachaz cur
Leoni com-
paratus.*

*Deuorare
homines
quid?*

abscondito. Quod fecisse Ioachaz, licet ex nullo alio constet loco, hoc tamen Ezechielis testimonium confirmat. Neque absit aliqua, atque non leuis conjectura, quia cum a populo terra, id est, a multitudine, tumultuari fortasse Rex esset appellatus, timere potuit, ne quid Pharaon victoria insolens in Iudeos moliretur, quorum proxime Regem interficerat, & militarem potentiam ingenti clade contriverat. Deinde, quia contra ius, aut consuetudinem regni prepositus fuerat fratribus etate maioribus: atque ideo non immerito verebatur ne iniuriarum agerent omisi fratres, remque publicam dum suis student rationibus, intestinis bellis, ac seditionibus turbarent. Quare ut regnum suum contra Pharaonis ac fratrum paratum vim armis, atque potentia communiret, undecimque parandas sibi diuitias existimauit, quae belli nerui, & pacis ornamenta sunt. Atque ideo prædas egit, ex suis, hominibus que eos maximè qui repugnare non auderent, deuorauit, & exuxit sanguinem. Quo nomine vocantur diuitiae, quia his non aliter, atque illo humana vita sustentatur.

35. Vers. 33. Vinxitque eum Pharaon Nechao in Rebla.] Cum Pharaon sublato Iosia ferro sibi ad Euphratem viam aperiuisset, & rebus ex voto confessis reuerteretur, voluit etiam sibi subiugare Iudeam, quæ prius imperfecto Rege male conciderat. Quare bello aggreditur Regem nuper assumptum Ioachaz, quem tandem superauit, & e solio deiecit, non tam sine magna suorum clade. Quod item exprefit Ezechiel suprà versu 4. Et audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum. In quem locum sic nos ibi meditabamur.

36. Hic fine dubio de Aegyptiis est sermo, qui cum magna rem Iudaicam affecissent plaga; Dominos se illius provinciam arbitrabantur. Hi vero aegre tulerunt se inconsulis atque insciis, à matre Ieana, id est, à republica leunculum illum leone esse factū, id est, Regiū obtinuisse locū, & nomen, atque ideo sicut ad leonis prædam sese venatores accingunt, sic contra nouum Regem Achaz arma quasi venatoria compararunt Aegyptij. Quia vero ille spiritus regios, id est, leoninos imberberat, & deuoratis hominibus, quo sensu nuper explicuimus, diuitias undecimque conuexerat, quibus non domesticum solum, sed etiam exteraum militem conduceret; strenuum se præstitit contra vim Aegyptiam; neque prius est captus, quam venatorum, id est, Aegyptiorum plurimi vulnerati sunt. Hæc non ex alio loco, quam ex hoc Ezechielis accidisse constat. Sanè lib. 3. Reg. c. 23. hoc solum habemus, vincitum fuisse à Pharaone Ioachaz, & in Aegyptū fuisse translatum, vbi exul egit, & vincitus ad finēsque vitæ, ut habes ex Ieremias c. 22. Sed est verisimile atmatum occurrisse Ioachaz, quia ipse audax erat & strenuus, neque enim aliter à republica, seu populo terra, spretis aliis, quibus etate, ac iure videbatur inferior, renuntiatus esset Rex, eo maximè tempore, quo infensum se Iudeo nomini ostentabat Aegyptius. Deinde quia non est verisimile ita fuisse Pharaonem acturum in Ioachaz, vt captiuū apud se retineret, eoque tractare modo, vt Ieremias c. 22. scriperit, Plangite cum qui egreditur, quia non reuertetur ultra, nec videbit terram nativitatis sue, sed in loco ad quem transfulti eum, ibi morietur. Nisi ille contra Aegyptiorum conatus armatas Iudeorum acies obiecisset,

37. Imposuit multam terram.] Fecit Pharaon regionem illam sibi vinctalem, quam armis sibi iam omnino subbegerat. Et quod summi iuris atque imperij est, deposito priori, eoque secū in Aegyptum abdu-

A ctio, Regé constituit nouum, quæ magis sibi obsequente fore existimabat. Reliquis et fortasse in suo ordine, ac loco Ioachaz, nisi illius robur esset expertus, futurumque metueret, ne constans esse noller in seruanda fide, quæ si aliquando proderet, nō putabat facile ad officiū, & fidem reuocari posse. Quare illius loco fratre sufficit Heliacim, cui pro summa potestate, quam in illū tunc primū exercere placuit, nomen mutauit, & qui prius ab ortu vocatus fuerat Heliacim, eundem, detractis literis, Iacim deinceps appellari voluit.

B Hic nobis obseruandum, quod in eodem argumēto dixi in commentariis Ieremiæ ad c. i. n. 8. Reges Babylonios, & Aegyptios, ut de aliis sileā, ut se protestat in alios habere significarent, nomen illis aut nouum imponere, aut aliqua ex parte mutare solitos. Quare Aegyptius alter Pharaon nomen indidit Ioseph, Genesis 41. & Nabuchodonosor, qui Mathatiam Iosiac filium, sedeciam vocavit, Danielis, & sociorum eius nomen ante mutauerat. Puto *Heliacim* autem Heliacim nomen esse compositum ab Heli, *nominis cōpositio.* & Iacim, & quo melior esset iunctura, & sonus suauior, per Aphæresim ex altera cōpositionis parte sublatum esse *io*, atque ideo cum vocandus esset Heliacim, appellatum fuisse Heliacim. Neque id nouum est apud Hebræos, qui in principio syllabā aut contrahunt, aut mutant. Exemplum habemus in hoc ipso nomine: nam cum Hebraicè dicatur *יְהוֹאָכִים* id est, *Iehoachim*, nos autem una sublata syllaba dicimus Iacim. Quod vero qui Iacim, seu Iacimus dicitur, Iacim, seu Iacimus appellati sit solitus, docet Iosephus lib. 20. Antiquitatum, vbi Pontificem quandam maximum Iacimum vocat, non Iacimum.

C Puto item hunc Heliacim solitum esse vocari 39. *Heli*, quæ prior est pars nominis compositi, & *Iacim*, quæ posterior: idque etiam iuxta Hebræorum more, qui cum nomen alicuius proprium compositum est, alteram compositionis partem remouere solent. Quo modo Iemini dicitur Beniaminita, Amō, qui Hebraicè vocatur Benamī Rā, qui Abrā, Salem, quæ Ierusalem, de quibus nos pluribus in caput 15. Isaiae. Neque tantum prior pars compositionis admittitur, sed etiam aliquando posterior.

D 4. Regum 10. vicus qui prius vocatus fuerat v. 12. *Camera pastorum*, statim v. 13. vocatur *camera*, sicut hic ex Heliacim sublata posteriori parte, tantum manet Heli, quæ prior est pars. Quare existimo, Pharaonem non imposuisse Heliacim nomen aliquod nouum, sed priorem nominis partē ademisse, vetuisseque ne iam amplius gemino vocaretur nomine; sed uno contentus esset Iacim, idque nō sine causa. Cum enim Heliacim valeat idem, quod *Deus suscitabit*, vel *Deus firmabit*, holuit Pharaon subiectum sibi Regem nomen habere, quod firmitatē à Deo portenderet, id est, nulla humana virtute superabilem. Exemplum habemus satis accommodatum in huius Iacim filio Iechoniam, qui cum nomen haberet illustre, quod significat, *Dei preparationem*, seu *præparatum a Deo*, quando de illo iam exauthorato, atque ignobili agitur, Ieremias c. 22. sublata priori syllaba *ia*, quæ Deum sonat, *Chonias* appellatur, nō Iechonias: sicut in antiquis codicibus ante legebatur. Et nunc etiā in suis commentariis legit Hieronymus. Sed est exēplū aliud, nō tā simile, quam idē, Judith c. 4. n. 5. & 11. sacerdos magnus dicitur Heliachim, & idē c. 15. n. 9. vocatur Iacim, quia vtrūque, ut reor, nomen familiare habuit. Immō & Heli vocatum esse crediderim ab altera parte compositi nominis, sicut etiam sacerdos alijs magnus vocatus est Heli. 1. Reg. c. 11. Hinc

E sublata priori syllaba *ia*, quæ Deum sonat, *Chonias* appellatur, nō Iechonias: sicut in antiquis codicibus ante legebatur. Et nunc etiā in suis commentariis legit Hieronymus. Sed est exēplū aliud, nō tā simile, quam idē, Judith c. 4. n. 5. & 11. sacerdos magnus dicitur Heliachim, & idē c. 15. n. 9. vocatur Iacim, quia vtrūque, ut reor, nomen familiare habuit. Immō & Heli vocatum esse crediderim ab altera parte compositi nominis, sicut etiam sacerdos alijs magnus vocatus est Heli. 1. Reg. c. 11. Hinc

Hinc ergo colligere posse videor, verum id esse, quod quidam e Patribus existimant de Ioachim beatae Virginis parente, quem vocatum esse putant etiam Heli. Cum enim Lucas c. 3. in Christi generatione describenda ad Christi auum, Virginisque parentem descendenter, illum appellat Heli. *Ei ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui (nempe Christus) fuit Heli.* Puto ergo Virginis parentem vocatum esse Heliacim, siue, quod idem est, Helioachim, & interdum iuxta Hebraeorum consuetudinem Heli, interdum vocari solitum *Ioachim*: quare que alij Ioachim, Lucas appellavit Heli: & in re usque adeo implexa, atque difficile, non mea mihi displicet conjectura.

*Quomodo
B. Virginis
pater dici-
tur Heli, &
Ioachim.*

B Ver. 35. *Et unumquemque iuxta vires suas exigit,* 41. *tam argentum, quam aurum.*] Non dubitauit Ioacim alteram sui nominis partem deleri, & imposita dependi tributa, dummodo regium obtineret nomine, quod annuente Pharaone suscepserat. Quare populo quod necesse erat, si modò seruanda esset obligata fides, tributum indixit, non quidem per capitula, in quo aliquid apparebat iniuritatis, sed iuxta cuiusque facultatem, & censem, quæ ratio æquior fuit, & cum minori subditorum offensione.

C Ver. 37. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia que fecerant Patres eius.*] Nihilo fuit melior Ioachim, quam fuerat, qui modo è regno cecidit Ioachaz. Quod paucis verbis complexus est hoc loco sacer historicus, id pluribus explicuit Ieremias c. 22. à v. 13. vbi illa scelerato Principi ascribuntur peccata, quæ sine aliis quamplurimis reperiri non solent; nempe avaritia, ambitio, fraus, calumnia, vis, & crudelitas. Væ (inquit Ieremias de Ioachim) qui edificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio; amicum suum opprimet frustra, & mer-

A cedem eius non reddit ei. Et ibidem v. 17. *Tu vero ocu- li & cor ad anaritiam & ad sanguinem innocentem fa- dedum, & ad caleniam, & ad cursu mali operis.* Hac nos pluribus in huius loci cōmētariis explicuimus.

Neque solam in homines crudelis, & avarus fuit Ioacim, sed abiurata religione patria, in Deum quoque fuit sceleratus, & impius. Nam, vt refert Hieronymus in traditionibus Hebr. super Par. Historia Scholastica lib. 4. Reg. c. 39. neque improbat Abulensis in c. 25. lib. 4. Reg. q. 39. & Lyra in locū Par. de quo statim, cū occisus esset Ioacim, in eius corpore inuenta sunt quædam inusta stigmata, quibus religionis desertæ testimonium inerat, nomen videlicet dæmonis illius, quem colebat, qui vocabatur Codonazer. Cuius rei aliquod in Scriptura sacra vestigium appetit. Lib. etenim 2. Par. c. 36. v. 8. hæc de Ioacim habemus. *Reliqua autem verborum Ioacim, & abominationes eius, & que inuenta sunt in eo, continentur in libro Regum Indi.* Neque nūum est, aut rarum, vt homines in corpore ferant impressa signa, quorum se religioni consecrarunt in transmarinis regionibus, quas hoc nostro sæculo aperuerunt Hispani, plurima habemus exēpla. & lib. 3. Machabæorum c. 2. his qui ex Iudeo populo à patria religione defecerunt, pro stigmate in corpore insigne Bacchi hederaceum folium inurebatur. Est quidem liber ille non canonicus, suo tamen pondere non caret. Sed est exemplum accommodatum maximè Apoc. c. 13. v. 16. vbi qui Antichristo seipso tradiderunt, characterē ipsius allaturi dicuntur in dextera, aut in frontibus, utique inustum, aut alio modo indelebiliter impressum. *Et faciat omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.*

*Ioacim da-
monte a me
suo corpori
inusti.*

*44.
Quidā De-
rum suorum
stigmata
corpori inu-
sta gestare
soliti.*

IN CAP. XXIV. LIB. IV. REGVM

ARGVMEN TVM.

VARTO anno postquam regnum obtinuerat Ioakim, ascendit Nabuchodonosor Hierosolymam, subactumque Regem compulit annum dependere tributum. Quod cum tribus annis exoluisset, rebellauit tandem, quare immisso rursus contra illum exercitu superatus est à Nabuchodonosor, & à regno vitaque depulsus. Cui succedit Ioachim, qui tertio postquam regnauit mense, tradidit se Chaldaeorum Regi, cui se ad repugnandum imparem videbat. Quare cum matre virisque principibus, & his qui ciuitatem tutari, atque munire, aut alio quousque modo poterant, Babylonem abducitur. Eius loco cum regio nomine Mathanias relinquitur, qui ex eo tempore vocari cœpit Sedecias. Neque diu seruauit fidem, quam obligarat Babylonio, qui ab illo postea graues pœnas exigit.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

1. IN diebus eius ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & factus est ei Ioakim seruus tribus annis: & rursum rebellauit contra eam.

2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldaeorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Iudam, ut disperderent eum, iuxta verbū Domini, quod lo-

Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.

D cutus fuerat per seruos suos Prophetas.

3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Iudam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse vniuersa quæ fecit,

4. Et propter sanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Ierusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5. Reliqua autem sermonum Ioakim, & vniuersa quæ fecit, nonne hæc scripta sūt in

Z Z z 2 Libro

Libro sermonum dierum regum Iuda? Et dormiuit Ioaquin cum patribus suis:

6. Et regnauit Ioaquin filius eius pro eo.

7. Et vlt̄ non addidit rex Aegypti, vt egredetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, à riuo Aegypti usque ad fluum Euphratēm, omnia quæ fuerant regis Aegypti.

8. Decem & octo annorum erat Ioaquin cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Nohesta filia Elzathan de Ierusalem.

9. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

10. In tempore illo ascenderunt serui Nabuchodonosor regis Babylonis in Ierusalem, & circumdata est urbs munitionibus.

11. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad ciuitatem cum seruis suis, ut opugnarent eam.

12. Egressusque est Ioaquin rex Iuda ad regem Babylonis, ipse & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius: & suscepit eum rex Babylonis anno octauo regni sui.

13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiae: & conscidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat

A Salomon rex Israel in templo Domini iuxta verbum Domini.

14. Et transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem, & omnem artificem & clusorem: nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.

15. Transtulit quoque Ioaquin in Babylonem, & matrem regis, & uxores regis, & eunuchos eius: & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem.

16. Et omnes viros robustos, septem milia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitque eos rex Babylonis captiuos in Babylonem.

B 17. Et constituit Matthiam patruum eius pro eo: imposuitque nomen ei Sedecia.

18. Vigesimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius erat Amital, filia Ieremias de Lobna.

19. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioaquin.

20. Irascebatur enim Dominus contra Ierusalem & contra Iudam, donec proiceret eos à facie sua: recessitque Sedecias à rege Babylonis.

IN CAP. XXIV. LIB. IV. REGVM

COMMENTARII.

Vers. I. *In diebus eius ascendit Nabuchodonosor, Rex Babylonis, & factus est ei Ioaquin seruus tribus annis.]*

Quarto anno
Ioaquin Ie-
rusalem à
Chaldeis
expugnari
cepta.

BREVIT hoc loco absoluitur Ioaquimi historia, cùm tamen plura illi à Rege Babylonis incommoda contigerint, quæ ab aliis scripturarum locis aduocanda sunt. Quarto anno Nabuchodonosor ad Hierosolymam primum appulerit, eamque suæ potestati subiecerit, habemus c. i. Danielis v. 1. ubi Nabuchodonosor venisse dicitur in Ierusalē anno tertio regni Ioaquim. At Ieremias c. 25. v. 1. venisse traditur, aut saltem indicatur anno 4. Ioaquimi, & primo Imperij sui. Vbi duo occurunt nodi, quos prius expediens oportet. Alter, quia Daniel Nabuchodonosoris aduentum in tertium annum coniicit Ioaquim, Ieremias vero in quartum, qui sane nodus ex ea regula expeditur facile, quæ docet in Scriptura annum imperfectum interdum omitti, interdum integrum censi. Quare venisse existimandus est Nabuchodonosor, quo tempore annus agebatur tertius cum dimidio regni Ioaquim, qui dimidiatus annus omissus est à Daniele, à Ieremias vero numeratus pro integro. Alter, quia primus annus Nabuchodonosoris incurrit traditur à Ieremias in annum quartum Ioaquimi. Quare illius appulus in Ierusalem incidere non potuit in annum tertium, quia eo tempore nondum

C regnum inierat. Sed neque hic nodus difficile habet solutionem. Annus enim primus Nabuchodonosoris partem sibi sumpsit ex tertio, partem ex quarto anno Ioaquim, atque ideo in utrumque pariter incurrit; in tertium quidem iam adultum, in quartum inchoatum, aut modicè progressum. Cùm ergo primus annus Regis Babylonis unius anni extremum, alterius initium complexus fuerit, iuxta Scripturæ consuetudinem, dici potuit in tertium, & quartum annum incidisse Regis Ioaquim.

Bis à Nabuchodonosore Ioaquim tentatum esse. bis Ioaquim à bello, bis vicit, satis ex Scriptura liquet. Primū sub initio regni Ioaquim, anno videlicet tertio, seu Chaldeis vicit. quod sensu nuper dicebamus: iterū anno vndeclimo, id est, postremo, quo cum regno vitam simul amisit. De primo appulso habemus Dan. c. 1. de secundo hoc loco, ubi habemus rebellasse Ioaquim contra Regem Babylonis postquam tribus annis ante seruisset, & ab eodem Rege superatum, & tandem extinctum, & eō redactum, ut non aliam nactus fuerit, quam asini sepulturam. Quando 3. Ioaquim ex ptius, & liberata redit. v. 7. Contra hunc (Ioaquim) ascendit Nabuchodonosor. Rex Chaldeorū, & vincitum catenis duxit in Babylonē. Quo

Quo cum alij etiam ablegati sunt è precipua Iudaoru.n nobilitate, in quibus fuit Daniel, & alij etiam de semine regio, de quibus Dan. c. i. qui Rege restituto in patriam, regiūnque solium, relieti fuerunt Babylone obligatae regiae fidei, ac fœderis percussi obsides, vt nos ad caput Dan. i. obseruauimus. Mansit autem Ioacim non diu apud Babylonios in vinculis, à quibus exolutus est, & libertati, regnōque restitutus; ita tamen vt subesset imperio Babylonio, & indictum sibi tributum constanti fide quotannis dependeret. Accepit Rex conditionem, quam tribus annis, non amplius, seruauit. Quod ita tulit grauiter Babylonius, vt in Iudæam vñctrices copias rursus inueheret, ac tandem regni anno vndecimo de folio vitaque deicerit. Nam, vt habes cap. 23. v. 36. vndecim regnauit annis, quatuor nempe aut quinque, post violatam fidem.

- De loacim morte, & sepultura varia sententia.*
4. Scio alios aliter cogitare, nam Hebrei in Sederolam c. 25. dicunt Ioacimum in vinculis interisse, indequé raptratum, & obiectum bestiis impetuissè quod de illo Ieremias ante prædixerat. *Sepultura asini sepelietur.* Quod si ita foret, quomodo vndecim regnaret annis: aut contra illum post Nabuchodonosoris aduentum latrunculi ex vicinis locis irrupissent? Sed quod dixi, docuit Iosephus lib. 10. c. 8. hist. Schol. lib. 4. Reg. c. 39. & ex recentioribus Caietanus, Vatablus, Barradas, Emmanuel Sa, Serarius, Dionysius, & Hugo. Lyra negat adductum esse Babylonem, sed vinclum, vt eò duceretur; mutatum tamen esse consilium, quia nō uit Babylonius illum aliquid meditari contra fidem datam, atque ideo occisum esse in Ierusalem, & extra muros illius cadauer fuisse projectum, sed quomodo iuxta hanc seruire potuit tres annos, & regnum ad annum usque vndecimum producere?

5. Vers. 1. *In diebus eius ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis.*] Hic agitur de priori Nabuchodonosoris appulsi, quo capta Hierosolyma, illius Regi annuum imposuit tributum, quod tribus tātū annis exoluit, deinde verò recusauit tributum, & imperiū. De secundo aduentu non agitur adeò expressè in hoc capite, sed venisse iterum Babylonum, constat ex dictis, vt violatæ fidei à Rege fœdifrago pœnas exigeret, immo, licet obscurius, venisse significatur illius exercitus, de quo statim.

6. *Et rursum rebellauit contra eum.*] Cur ausus fuerit Ioacim Babylonicum detractare iugum, & tributum, quod debebat ex pacto, ea ab auctoribus adducitur ratio, quia audierat Ägyptiorum Regem aliquid contra Chaldæos nouū moliri, cùm que regnum Ägyptio deberet, à quo fuerat in illam dignitatem sublatu.s, illi magis adesse, quā Chaldæo voluit. Accedebat quod frangi putabat in eo congressu, & infirmari plurimum, Chaldæorum vires, à quibus nihil sibi timendum arbitrabatur. Hæc causa fuit cur violata fide rebellaret, & Chaldæorum in se furorem vehementer acueret, cui, vt mox dicemus, non potuit Rex Ägyptius esse subsidio, quia vñctus fuit à Babylonis, & magna sui imperij parte priuatus.

7. Vers. 2. *Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldeorum, & latrunculos Syriae, &c.*] Hic ego reditum video exercitus Chaldæorum, qui regnum & vitā abstulit Ioakimo, & qui illum usque ad asini sepulturam abiecit. Latrunculi enim Chaldæorum aliarum nationum, quæ vel iam Nabuchodonosori parebant, vel male in Iudæos erant animatæ, latrunculos aduocarunt, qui non grauatæ illorum

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

A suscepere mandata. Ex quibus copiosus conflatus est exercitus, qui, aspirante Deo, qui iam statuerat Iudæorum terram grauissimis oneratam sceleribus disperdere, facile quod optabat cōsecutus est. Passi sunt autem Iudæi, quod iam ante à Deo per Prophetas audierant, quorum voces, vt à fide ac pondere vacuas contemnebat, tam Rex, quām qui illi erant à consiliis, quorum oculos, & vitæ improbitas, & ex eo perniciösus error occupauerat. Monuerat autem c. 23. v. 27. suprà, præfertim per Ieremiam, tum aliis locis sāpe, tum clariss. c. 22.

De Ioacimi morte nihil hīc habemus ab histo- 8.
rico sacro, sed docet durè satis, atque perspicue Ieremias c. 22. v. 18. & deinde, *Hec dicit Dominus ad Ioakim filium Iosæ Regem Iuda: Non plangent eum, vñ frater, & vñ soror: non concrepabunt ei vñ Domine, & vñ inclite: sepultura asini sepelietur putrefactus, & projectus extra portas Ierusalem.* Hæc nos satis, opinor, explicuimus in nostris commentariis super Ieremiam, vñ diximus, neque humatum esse Ioakimū, neque legitimū illi impensum esse plāctum, quo de more Hebrei suorum, ac principum cadauera prosequuntur.

Ieremias c. 22. v. 19. *sepultura asini sepeliendum.* 9.
dixit Ioakimum. Non difficile est nosse, qua sit a-
*Asini que
sepultura.*
sini sepultura, nempe locus ille, in quē casu contigit asinum cadere, quale non necesse est sit sterquilinium, cùm non semper asini cadauer in sterquilino putrefacti. Est autem asini sepulcrum, solidus aliquis, & apertus locus, qui neque tegat cadaueris horribilem, & obscenam speciem, neque canes aut volucres à laceratione prohibeat. Quod magis explicuit Ieremias idem c. 36. v. 30. *Hec di-
cit Dominus contra Ioakim Regem Iuda, &c. cadauer eius proicitur ad astum per diem, & ad gelu per noctē.*

Sed posset hīc rogare nonnemo, quomodo in-

humatus dici possit Ioakim, qui tamen hoc c. 24.

v. 5. dormisse traditur cum patribus suis: qui dicē-

di modis, Hieronymo teste, sepultum aliquem es-

se tradit; item quia putrefactus extra ciuitatis por-

tas projectus est, quod sanè fieri non posset, si sta-

tim atque occisus fuit, extra ciuitatem esset eductus.

Neque præterea verisimile est, regium cadau-

er intrā mœnia fuisse insepultum, donec putrem

solueretur in saniem. Quidam sepultum fuisse di-

cunt Ioacim à Iudæis, postea verò à Chaldæis ef-

fossum è sepulcro iam corruptum, & tabidum, ex-

tractumque extra portas: ita S. Thomas in locum

ciuitati Ieremias. Sed communiter alij inhumatum

esse dicunt, quod verba indicant Ieremias tam hīc

quām c. 36. neque admodum vrget obiecta ratio.

Nam licet dormire cum patribus, plerumque signifi-

cet in sepulcrum inferri, non tamen illud quo-

cunque modo fieri significat: illi enim cum patri-

bus dormiunt, qui eodem cum patribus tumulo

conduntur; at qui paterentur hostes Babylonij in

parentū, id est, Regum Iuda Mausolea inferri Ioacim,

cùm Regū Iuda sepulcra disiecerint, & Regū ossa in Solis, lunæque conspectum extulerint, vt

prædixerat Ieremias c. 8. Quare qui tumulatos ef-

fodiunt, non paterentur eum, qui nondū inhumatus

erat, terræ mādari. Ut ergo sepultura & funus pro-

morte sumuntur, quia mortui plerūque sepulcro,

& funereis sacrī honestari solent; sic dormire

aut requiescere cum patribus, quod mortem, & sepulturam sonat, dici possunt qui mortui sunt,

eriam si tumulati numquam fuerint. Quod ve-

rò dicunt putrefactum extractum è ciuitate,

minus vrget in oppositum, neque enim signi-

ficatur projectus postquam extabuisset, sed

computruisse, & esse projectum. Vtrumque verò

R E G U L A .

Ab eo nomē

sumitur

quod fieri

plerumque

solet, etiam si

aliter res

contingat.

accidit. Verba textus sic habent: *purefactus & projectus extra Ierusalem.* Tantum hic video quod-dam ὑερον τρόπον, quale est illud Virgilianum,

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Quod in Scriptura sacra frequens est, quando quod priori loco dici debuit, posteriori ponitur. Est enim prius, extra portas cadauer esse projectū, quām extra portas esse putrefactū: hic verò præ-posterus est, & inuersus ordo.

12. De loco vbi occisus fuerit Ioacim, nonnulli dubitant. Hieronymus hic in Babylone censem, quia abductus in Babylonem dicitur, neque de illo vspiam præterea sermo: sed communiter alij in Ierusalē extinctum putant, & textus ipse docet, quia projectus dicitur extra portas Ierusalem: neque aliter visum est Hieronymo in c. 25. Ieremiæ, statim in principio.

Vers. 6. *Et regnauit Ioachim filius eius pro eo.*]

13. Maxima similitudo est inter patris & filij nomen. Patris est *Ioakim*, cum *caph*, & *mem* in fine: filii *Ioachin*, cum *coph*, & non terminali, uterque autem, vt iam antè diximus, Iechonias vocatur, quod nomen datum est aliquibus qui ē Iosia semine propagati sunt.

14. *Rex AEgypti p̄ius ab Assyrio multatus.* Vers. 7. *Et ultra non addidit Rex AEgypti, ut egredetur de terra sua.*] Egressus fuerat Rex AEgypti Pharaon Nechao de terra sua ad Euphratem, ut aliquas ciuitates in suam potestatem redigeret, quæ tunc Assyrio parebant imperio: quæ profectio illi, ut diximus, successit ex voto. Et in redditu tulit secum captiuum Ioachaz, & Ioakimum fratrem eius loco suffecit. Egrediebatur quoque de terra sua, ut quod Ioakimo indixerat, tributū exigeret. Deinde Nabuchodonosor, qui iam Assyriam potestatem Chaldæorum imperio subiugarat, ad se pertinere existimauit, quicquid Pharaon de Assyriorū ditione retraxerat. Quare cōscriptis copiis, quām maximas potuit, non solum ciuitates ab AEgyptio sublatas recuperauit, sed maximā sibi ex AEgyptio imperio partem subiecit. Abstulit etenim quicquid est ab Euphrate ad riuum AEgypti, id est, ad Rhinocorurum, quæ terram promissionis ab AEgyptia regione discriminat. Quocirca subsidio esse non potuit illi, quem fratri loco regno præpaserat, immo neque egredi è regno, cùm sciret certamen sibi futuram esse cum hoste longè potentiori. Quare neque egressus, ut opeim ferret Ioakimo laboranti, neque ut annum exigeret tributum, cùm Iuda Babylonii pareret magis, quām AEgyptiis. Parabat sese Pharaon, ut Sedecię subsidio esset contra Babylonios, sed neque profecit quicquam, neque ad Hierosolymæ fines penetravit, ut habes Ieremiæ c. 37.

15. Non docet Scriptura à quo præpositus fuerit regno Iechonias, an à populo sicut antea patruus Ioachaz, vel à Rege Nabuchodonosor sicut paulo post Sedecias; est tamen verisimile à Chaldæo potius, quām à populo constitutum esse Regem, eodem planè consilio, quo paucis antè annis Pharaon depulso Ioachaz Ioakimum pro fratre regno præfecit. Sic enim putauit habiturum se Regem fidelem magis, & obsequenter, qui oblatam à se regiam illam sedem meminisset. Ita putat Iosephus lib. 10. c. 8. hist. schol. in lib. 4. Reg. c. 39. Lyra hīc, & Dionysius.

16. Vers. 8. *Decem & octo annorum erat Ioachim, cùm regnare capisset.*] Lib. 2. Par. c. 36. v. 9. octo annorum fuisse dicitur cùm regnum iniit. Quæ duo facile conciliat Regum sub ea tempora consuetudo, qui Reges designant filios suos, quibus regnum po-

A stea relicturi sunt: qui cum parentibus aliquandiu regnant; deinde functis vita, regnóque parentibus, soli. Erat itaque Ioakim, octo annorum, cùm socij sibi pater ad regnum asumpsit, aīno videlicet ab inito regno secundo: decem tamen & octo cùm solus regnum moderari cæpit.

Vers. 9. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia que fecerat pater eius.*] Quæ fuerint hæc peccata, Iechonias quæ admisisse dicitur Iechonias, non habemus peccata, hoc loco; expressit tamen pluribus Ezechiel, c. 19.

B vbi cùm decem annis, quibus simul cum patre regnum administravit, scelerati patris domestica habuisset exempla, ab illo didicit crudelitatem, & auaritiam, neque magis & religione in coluit, & Deum timuit quām pater, qui diaboli in suo corpore stigmata gestauerat: cùm autem pater ille patraret, quæ nos suprà ex Ezechiele commemorauimus, illi sine dubio socius aderat filius, alioqui quomodo tam breui spatio talia edidisset crudelitatis exempla, qualia legimus apud Ezechielem; neque enim supra trimestre fuit Iechonias regnū. Et Ezechiel sicut parenti, sic etiam filio leoninos ascribit mores, & ingenium.

Vers. 10. *In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor Regis Babylonis in Ierusalem.*] Vix tertius exactus fuerat mensis, ex quo Rex Babylonis Regem constitueret Iechoniam, cùm rediit eodem, vt eundem, quem extulerat, ex regia dignitate deponeret. Cur autem tam subito consilium mutauerit, aut quod fecisset prius infectum esse cuperet docet Iosephus lib. 10. Ant. c. 9. Cùm enim ipse Iechonias parentem neci dedisset, regiumque cadasuer vñquadeo ignominiosè tractauerit, vt non aliam permiserit, quām asini sepulturam, verebatur ne Rex nouus paternæ cædis memor aliquid moliretur noui, potiorēmque haberet domestica iniuria vindictā, quām obligatē fidei, & fœderis percussi constantiam, populum ad defectionem perpellere: exercitū iterum Hierosolymam reduxit, & timidum Regem ad deditio[n]em compulit. Lib.

C 2. Par. c. 36. v. 10. missus dicitur exercitus Babylonius, & Iechonias actus in exilium, cùm anni volueretur circulus, quod non est intelligendum factum in fine anni, ex quo regnare cæpit Iechonias, cùm illius regnum semestre fuerit. Sed communis D anni indicatur exordium, quod est in mense primo Nisan. Qui annus dicitur vertens, quo tempore soluta iam hyeme, & tepente cælo solent Reges ad bella procedere. Quod lib. 2. Reg. c. 11. v. 1. de Davide legimus.

Vers. 11. *Egressusque est Ioachin Rex Iuda ad Regē Babylonis.*] Cùm Ioachin desperaret sustinere le posse Chaldæorum impetum, quorum vires proximè in parentis interitu cognoverat, & quia ab illis, vt erant impetus acres, & ingens multitudo, paratum videbat infortunium, tum quia compellebant Ieremiæ exhortationes astiduæ, quas pater malè sanus, & qui cum illo corruerunt, antè contempserant, abiecit arma, suscepitque pacatus hostem simul cum matre, aliisque populi principibus. Et seipsum illi, & ciuitatem tradidit, sub ea tamen conditione, ac lege, vt dicit Iosephus lib. 10. cap. 9. ne virbi mali aliquid, nec ciuib[us] inferret. Quod tamen non seruauit, quia præcipuam nobilitatem, & robur ciuitatis abstulit, & urbem nudam à ciuium splendore artificum industria, & militum robustorum præsidio reliquit.

Vers. 13. *Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & concidit uniuersa vas aurea.*] Ita se gesit durè in Hierosolymam Assyrus, vt totam dicitur à suis sedibus ad alienum solum transstu-

lissee

Hierosolyma
à Chaldais
omni pres-
dio nudata.

Faber &
inclusor
quid.

Inclusor
quid.

Diabolical-
litas in
oppugnanda
religione.

21. Vers. 17. *Et constituit Mathaniam patrum eius pro eo.*] Sicut prius Iechoniam pro parente Ioakimo; sic nunc pro Iechonia Mathaniam illius patrum Regē designauit, & quod supremā dignitatis est, illius mutauit nomen, & qui à patre Mathaniae nomen accepit, idem à Nabuchodonosor nomen accepit Sedecia. Neque melior fuit fratre Ioakimo, cuius expressit audaces, & ferinos mores, quos Dominus in illo dominari permisit, quia iam statuerat proiicere Gentem, quam prius in suum sibi populum elegerat. Et quo tardantem suæ gentis aduocaret interitum, cùm illud è re sua superiorum Regum exemplo futurum non esse discere potuisset, à Rege Babylonis decessit, cui ex pacto aliquot antea annis tributa dependerat; quod illi ac regno toti extremam attulit vastitatem.

22. Hic ad extremum obseruandum tres hosce Reges, qui optimo Regi Iosiae successere, aliud ab initio habuisse nomen à parentibus, aliud sub vi- tæ exitu impositum ab hoste victore. Optabat

A Rex pius, vt in filiorum nominibus audiatur Dei, vt à suo nomine, quod necesse erat sacerdos audiri, saepius etiam admoniti Dei recordarentur, cuius memoriam cupiebat ex eorum animis nunquam excidere. Atque ideo filiū suū, qui primus omnium Regnum obtinuit, quicquid post semestre regnum abductus est à Pharaone capiūs in Ægyptum, *Ioachaz* nominauit, quod non idem valet, quod Domini possessio, seu apprehensio, aut Dominus videns, quo nihil videbatur aptius, vt Deus sic obuersaretur ante oculos, vt nunquam excederet. *Heliakim*, Deus firmitatis, aut Deus vindicans, quo admonebat, vt Deum quasi patronum & perfugium haberet, neque ab alio salutem, & firmitatem speraret, & si impie vivueret, vltorem timeret. *Iechonias*, idem

B ferme est, quod, vt putat Hieronymus, Dei præparationem, seu à Domino præparatum significat. *Methanias* donum Dei valet, seu, iuxta Syrum, Dei expectationem. Sed morum turpitudine, & religionis abiurata scelus fecit ne nomen illud esset in scelerata illa generatione perpetuum. Nam Pharao ex Heliakim abstulit Eli, quod nomen est Dei, & reliquit posteriorem nominis partem *iakim*, quæ idem est quod *Ioakim*. Qui alibi dictus est Ioachim, seu Iechonias. Ieremiæ cap. 22. v. 24. à Deo ipso *Chonias* appellatur, detracito *Ie*, seu *Ia*, quæ vox, teste ibi Hieronymo, Deum significat. Vbi enim Ieremiæ citato loco dicitur, *Vnu ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacum Regis Iuda, annulus in dextera mea, inde cuellam eum.* In Hebraico textu est *Chonias*, qui Mathanias vocatus est à parente. Ille à Nabuchodonosor dictus est Sedecias, qui idem valet, quod Dei iustitia, quo nomine admonere voluit Babylonius, licet infidelis, & barbarus Israëlitam, cùm Regem præposuit, & interposita iuris iurandi fide, sibi vestigalem, & fœderatum reddidit; vt etiam atque etiam consideraret Deum esse iustum, soleréque à fœdifragis violati iuramenti, ac fidei penas exigere.

C Iusto autem Dei iudicio sublatum est ab illis 25. nomen Domini, quod in suis nominibus sacerdos audiebant, qui Deum ipsum contempserunt, & dum sese nefariis sacris addixerunt, neque de vera, patriaque religione, neque de Dei nomine cogitabant, quod de suis nominibus deleri serebant non grauare. In magno beneficio numerat Deus dedisse Iacob nomen suum, id est, fecisse, vt in eo diuinum nomen audiretur, cùm appellauit illum Israël, atque ideo hortatur, vt illius beneficij recordetur, foreque putet, vt Deum patrōnum habeat & parentem, cui singularis humanitatis in sacro sancto illo nomine pignus dedit. Sic autem ad populum Isaiæ cap. 48. v. 1. *Audite hec domus Iacob, qui vocamini nomine Israël.* Et iterum v. 12. *Audi me Iacob & Israël, quem ego voco.* Id est, cui ego de meo nomine nomen attribuo, quod magnæ benevolentiae pondus habet. Vide quæ eo loco diximus. Propter nominis sui sanctitatem quæ erat in Angelo, aut in Iosue, vt opinatur Rabbanus, dicebat Dominus, Angelo deberi reverentiam. Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, & obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putas, quia non dimittet, cùm peccaueris, & est nomen meum in illo.* Nomen autem Dei esse dicitur, aut in Iosue, qui idem sonat, quod Iesus, aut in Angelo, qui à Dei nomine compellationem habet: vocantur enim Michael, Raphael, &c. In quibus *El* Dei nomen auditur. Hinc Societas Iesu dignitatem agnosce,

^{24.}
*Improbi in-
digni vene-
rabi, ac re-
ligioso nemir-
ne.*

D *Magnum
beneficium, &
honor habe-
re in suo no-
mine nomen
Dei.*

E Deus dedisse Iacob nomen suum, id est, fecisse, vt in eo diuinum nomen audiretur, cùm appellauit illum Israël, atque ideo hortatur, vt illius beneficij recordetur, foreque putet, vt Deum patrōnum habeat & parentem, cui singularis humanitatis in sacro sancto illo nomine pignus dedit. Sic autem ad populum Isaiæ cap. 48. v. 1. *Audite hec domus Iacob, qui vocamini nomine Israël.* Et iterum v. 12. *Audi me Iacob & Israël, quem ego voco.* Id est, cui ego de meo nomine nomen attribuo, quod magnæ benevolentiae pondus habet. Vide quæ eo loco diximus. Propter nominis sui sanctitatem quæ erat in Angelo, aut in Iosue, vt opinatur Rabbanus, dicebat Dominus, Angelo deberi reverentiam. Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, & obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putas, quia non dimittet, cùm peccaueris, & est nomen meum in illo.* Nomen autem Dei esse dicitur, aut in Iosue, qui idem sonat, quod Iesus, aut in Angelo, qui à Dei nomine compellationem habet: vocantur enim Michael, Raphael, &c. In quibus *El* Dei nomen auditur. Hinc Societas Iesu dignitatem agnosce,

& quām illam Deus charam habeat, quando à suo nomine vocari voluit. Quid ergo in Heliacim retinendus esset aliquis diuini nominis sonus, cuius vita longe abessest à diuini nominis obseruantia: & cuius cadauer dæmonis charactere compunctum asini sepulcrum manebat? Cur Iechonias diuinum aliquid in suo nomine referret, cuius futura esset apud barbaros tam viliis, ac sordida conditio? Cur qui templum, & urbem prodidit, diceretur Mathanias, id est, Dei donum, qui non tam datus est à Deo ciuitati, vt donum quoddam quod illam tueretur, & ornaret, quām veluti pestis quædam immissus, qui illam prorsus inficeret, & perderet. Sanè qui sui nominis men-

A suram non implet, aut illius maiestati, atque splendori non respondet, qui Sanctus de se Christianus, aut religiosus audit, neque tamen Sancti, Christiani, aut religiosi quicquam præter nomen habet, ille dignissimus est, cui nobile auferatur nomen, & vile aliud imponatur, & sordidum, quod cum corruptis moribus, & vitæ turpitudine consentiat. Notum est illud Alexandri, qui cùm ignavum, & timidum militem vidisset, cui commune secum esset Alexandri nomen, dixit sub amara reprehensione, vt si mores illos retinere pergeret, mutaret nomen, quod minimè caderet in muliebre ingenium, & imbelile pectus.

IN CAP. XXV. LIB. IV. REGVM

ARGUMENTVM.



VM videret Sedecias in ciuitatem irrupisse Chaldaeos, non aliter sibi ac suis quām fuga salutem esse quærendam existimauit. Sed in medio cursu ad Jerichuntem comprehensus est, & orbatus oculis, quos vt spectaret filiorum necem Rex Babylonis eò usque seruauerat. Post hæc templum & domus regia, & quicquid erat speciosum in urbe, incendio conflagravit. Quod autem pretiosum videbatur, & ad elegantes usus opportunum, Babylonem usque perlatum est. Ex urbe porrò viri nobiles extracti non pauci, quos Rex Babylonis neci dedit. His verò qui relieti sunt in urbe, fuerunt autem agricole, vinitores & pauperes, præfecit Godoliam, ad quem cùm dispersa turba conuenisset, Ismaëlis insidiis alienissimo tempore sublatus est, cùmque populus nihil in patria putaret à periculo vacuum, ad Ægyptios confugit. Tandem cùm vita primum functus esset Nabuchodonosor, Euilmerodach paterni regni compos Joachim, seu Iechoniam Regem olim Jerusalem extractum è vinculis armicè complexus est, & regium in modum ad mortem usque prosecutus.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

1. Factum est autem anno nono regni eius, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus eius, in Ierusalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu eius munitiones.

2. Et clausa est ciuitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciae,

3. Nona die mensis: præualuitque famæ in ciuitate, nec erat panis populo terræ.

4. Et interrupta est ciuitas: & omnes vii bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplē murum ad horum regis (porro Chaldaeï obsidebant in circuitu ciuitatem) fugit itaque Sedecias per viam quæ dicit ad campestrâ solitudinis.

5. Et persecutus est exercitus Chaldaeorum regem, comprehenditque eum in planicie Iericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.

6. Apprehensum ergo regem duxerunt

B ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo iudicium.

7. Filios autem Sedeciae occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.

8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis, in Ierusalem.

9. Et succedit domum Domini, & domum regis: & domus Ierusalem, omnemque domum combussit igni.

10. Et muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldaeorum, qui erat cum principe militum.

11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in ciuitate, & perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.

13. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & bases, & mare æcum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldaeï

Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem.

14. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt.

15. Necnon & thuribula, & phialas: quæ aurea, aurea: & quæ argentea, argentea, tulit princeps militiæ,

16. Id est, columnas duas, mare vnum, & bases, quas fecerat Salomon in templo Domini: nō erat pondus æris omniū vasorum.

17. Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna: & capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: & reticulum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columnæ secunda habebat ornatum.

18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiā sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres ianitores.

19. Et de ciuitate eunuchum vnum, qui erat præfectus super bellatores viros: & quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in ciuitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & sexaginta viros è vulgo, qui inuenti fuerant in ciuitate.

20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha.

21. Percussitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Iuda de terra sua.

22. Populo autem qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, prefecit Godoliam filium Ahican filij Saphan.

A 23. Quod cùm audissent omnes duces militum, ipsi & viri qui erant cum eis, vide-licet quod constituisset rex Babylonis Godoliam: venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismael filius Nathaniæ, & Iohanan filius Carec, & Saraia filius Thanehumeth Netophathites, & Iezonias filius Maachathi, ipsi & socij eorum.

24. Iurauitque Godolias ipsis & sociis eorum, dicens: Nolite timere seruire Chaldaeis: manete in terra, & seruite regi Babylonis, & bene erit vobis.

B 25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismael filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Iudæos & Chaldaeos, qui erant cum eo in Maspha.

26. Consurgensque omnis populus à paruo usque ad magnum, & principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldaeos.

27. Factum est verò in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachim regis Iuda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis: subleuauit Eulmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachim regis Iuda de carcere.

28. Et locutus est ei benignè: & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.

29. Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vita suæ.

30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à rege per singulos dies, omnibus diebus vita suæ.

IN CAP. XXV. LIB. IV. REGVM

COMMENTARII.

Verf. 1. Factum est autem anno nono regni eius, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor.]

I. **H**æc historia iisdem penè verbis descri-
pta est à Ieremia Propheta cap. 39. & cap.
52. vbi nos quæ hīc dici poterant, satis
opinor, explicatè persecuti sumus. Ex quibus su-
memus, quæ ad huius capituli explicationem vide-
buntur necessaria. Et primum videtur difficile
tamdiu obsecros potuisse resistere potentissimo
Chaldaeorum exercitu, vt in duos annos obsi-
dionem traxerint, & tamdiu, tam acriter pugnan-
tibus Chaldaeis, victoriæ ad undecimum an-
num Sedeciae distulerint. Quæ difficultas non
usque adeo impedita videbitur ei, qui nouit ali-
quot, neque paucis diebus obsidionem à Chal-
daeis fuisse intermissam. Nam cùm Ægyptij tum
propter Chaldaeorum odium, quod recentes ca-
lamitates aluerant, tum propter studium, quo
aliquando Iudæos fuerant prosecuti, auxiliares

C compararent copias, illis occurrere Chaldaeus
voluit, quod vt mature faceret, neque irrito co-
natu, oblidionem soluit. Sic Ieremias c. 37. verf. 4.
Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto, &
audientes Chaldaeis, qui obsidebant Ierusalem, huiuscemo-
di nuncium, receperunt a Ierusalem. Cumque non-
nihil Chaldaeorum discessu respirarent Iudæi, de
illorum reditu Ieremiam consulunt, ad quos sic
ille, Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in
auxilium, reuertetur in terram suam in Ægyptum. Et
redient Chaldaei, & bellabunt contra ciuitatem hanc, &
capient eam, & succendent eam igni.

Verf. 4. Fugit itaque Sedecias per viam, que ducit
ad campistria.] Extrema ciuitatem famæ inua-
serat, eoque dira necessitas adegerat obsecros, vt pa-
rentes filiorum carnibus vescerentur, vt plange-
bat Ieremias Thren. c. 4. v. 10. & Baruch c. 2. v. 3. &
filij

filij parentum, ut prædictis Ezechiel c. 5. v. 10. *Pa-*
tres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres
suos. Cum ergo extremam famem sustinere iam
 amplius non possent obseSSI, & iam à catapulta, &
 arietę interrupta forent murorum claustra, neque
 hostes aliquid de pugnandi contentione remitte-
 rent, statuit Rex desperata ciuitatis custodia, &
 cum eo bellatores, & principes fugiendo magis,
 quam dimicando propriam salutem conseruare,
 quando in eo statu res foret, & publicam nullo
 modo possent.

Rabbinorum fabula de Sedecia.

3. Vers. 5. *Et persecutus est exercitus Chaldaeorū Regem, comprehenditque eū in planitie Iericho.*] Hic Rab-
 binus suo more egregie delirant, qui tunc illustrem
 putant narrationem, cùm aliquid habet fabulosi
 commenti: neque qua sunt ad fingendum, siue im-
 pudentia, siue audacia, nugari verecundantur in re
 sacra. Tradunt enim à regia domo ad solitudinem
 usque Ierichuntinam speluncam esse subterraneā,
 per quam cùm cadente iam patria, se vellet Sedecias
 à morte subducere, fugam molitus est, euasus
 rurus omnino, nisi iam foret exilio, ferroque deuo-
 tus. Nam quantum spatij per cæcum illum occul-
 tumque meatum carpebat Rex, tantum supra illū
 directò conficiebat cerna, quā dum Chaldæi ve-
 natores insequuntur, ad alterum speluncæ ostium
 venatores deducit, eodem prorsus tēpore, quo per
 ostium illud Sedecias erumperat ē latebris: atque
 ita captus est, & illa passus, de quibus nos statim.
 Has Rabbinorum nugas multa conuellunt, quæ
 sacra commemorat historia: illud maximè quod
 fugientem Regem dicitur insequutus Chaldaeo-
 rum exercitus. Vide rationes alias apud Abulens-
 sem quæst. 6. in librum 4. Regum c. 25. Fugam ve-
 rō, comprehensionē Regis, eiisque suppli-
 ciū ita narrat Iosephus lib. 10. Antiquitatū ca. 11.
Vrbe, inquit, capta circa medium noctem, & ducibus,
ac reliquis hostibus in templum ingressis, Sedecias Rex,
vbi hoc sensit, assumptis uxoribus, liberis, ducibus, &
amicis, fugam arripuit per fauces quasdam angustas in
desertum. Quidcum Babylonij cognouissent, per fugarum
*indicio, sub auroram aggressi sunt eos persequi, & asse-
 cuti eos non procul a Ierichunte circumuerunt. Amici*
vero & duces fuga comites visis a propinquo hostibus
*relicto Sedecia dissipati sunt, qua quemque tulit spes ef-
 fugiij.* Hæc Iosephus.

4. Vers. 6. *Duxerunt ad Regem Babylonis in Rebla-
 tha.*] Cap. 39. Ieremiæ vers. 5. Reblatha dicitur
 quid, & ubi esse in terra Emath, quæ Hieronymo teste, eadem
 est, quæ Antiochia Syriæ, & quæ ab Antiocho E-
 piphanæ vocata est etiam Epiphania, quæ est in
 ingressu terræ promissionis. Ibi verò consedit, vel
 quia non putabat ē tanti Regis fore dignitate, si
 præsens ipse oppugnandæ vrbi, & debellandis
 hostibus interellet. Aut quia proprius sic aberat à
 regno suo, ut si quid ibi, absente Rege, turbarum
 fieret, facilius ipse, & commodius occurreret. Aut
 ut inde de supplemento militum, aut commeatu
 maturius exercitui suo prouideret. Eo deductus
 est captus Sedecias, oblatusque Regi, & talia pas-
 sus, qualia prius à Prophetis audierat.

5. *Qui locutus est cum eo iudicium.*] Loqui iudicium
 Loqui iudi-
 cium quid. nihil aliud esse puto, quam disceptari regiam cau-
 sam, & quid illorum quilibet commeruerit ex-
 pendit. *Quid acceperit Sedecias à Chaldaorum*
Rege, quid ipse contrà rependere, etiamsi nullum
intercessisset fœdus, aut iusurandum, debuerit.
 Neque enim puto indicta causa, quam tueri non
 poterat, damnatum esse Sedeciam, & durum illud
 supplicium subiisse. Ita putat Abulensis in librum
 4. Reg. c. 25. q. 1. Multa obiici poterant fœdfrago

A Regi, quæ illum arguerent violatæ religionis, &
 fidei, & capitū reum esse conuincerent: ied illud
 credo non tulisse tacitum, quod assūpto *Sedecia* Sedecias suo
 nomine, Dei in iuramenti fidem testis, & arbitrii
 extate voluit familiare documentum. Cū enim
 Mathanias diceretur, vt constat lib. 4. Regum
 c. 24. cum regno à Nabuchodonosor nouum no-
 men accepit: ex eo namque tempore appellari cæ-
 pit Sedecias. Cuius nominis ea ratio fuit, vt cum
 Hebræis opinatur Lyra, quia cū in fœdere pan-
 gendo iuramentum interposuisset Mathanias, qui
 postea Sedecias, vt iustitiam, quam, teste ac vindice
 Deo, sanctam, & integrum tueretur, *Sedecia* illi
 nomen imposuit; quod Dei iustitiam secum im-
 portat. Quasi futurus esset iniurias non Regi so-
 lū, sed etiam Deo, cuius nomen contemptissime vi-
 deri poterat.

B Vers. 7. *Filios autem Sedecia occidit coram eo, & 6.*
oculos eius effudit.] Felices existimantur illi, qui ne
 suorum infortunium aspicerent, morte sublati
 sunt, quæ licet immatura fuerit, non tamē existi-
 mata est intempestua. Qua de re noī apud Iere-
 miā cap. 20. ad illud: *Maledicta dies, in qua natus sum.* Statuerat Nabuchodonosor eruendos esse
 oculos Sedecia, nō tamē illos prius effudit, quam
 liberi forent ante paternos oculos occisi; vt non
 tam ex luce, cœlique conspectu voluptatem, quam
 ex crudeli filiorum nece dolorem haurirent. Vbi
 verò patris oculos acerbo filiorum spectaculo pu-
 pugit, statim nō magis crudeliter, & stylo, aut alio
 quois ad opus illud idoneo instrumento oculos
 exculpfit. Dignum sanè supplicium, vt qui cæcis
 C semper abduceretur consiliis, & ad cæcorum si-
 militudinem illorum se ductui regendum permi-
 serit, à quibus in cœno demersus, aut in lubrico,
 atque præcipiti loco relictus est. Hæc itaque siue
 iniuria, siue plaga, quæ regio corpori inflicta est,
 tanto posteris dolori, atque ignominiae fuit, vt in-
 dicto quotannis publico ieunio censuerint, com-
 muni fieri deformatam Regis faciem esse deplo-
 randam. Ut enim ex Hebræorum Kalendario con-
 stat, in mense Marhesuan qui nobis est October,
 ad diem sextum ieunium indicitur ob excæ-
 tum Sedeciam.

D *Judaorum ieuniū pro Sedecia.*

E Et adduxit in Babylonem.] Hoc loco Prophetæ 7.
 D duo sibi videntur fuisse contrarij: Ieremias hinc
 adductum fuisse dicit Sedeciam in Babylonem, si-
 cut antea futurum esse prædixerat, c. 32. versu 5. &
 34. v. 3. Ezechiel autem cap. 12. v. 13. affirmit non
 videndam à Sedecia Babylonem; quare Rex (vt
 tradit Iosephus lib. 10. Antiquitatū c. 11.) quia
 hæc duo conciliare non poterat, vanum putabat
 utrumque vaticinium; sed reuera compleuit Deus
 quod vterque prædixerat Propheta: nam in Ba-
 bylonem deductus est Sedecias, Regemque vidit
 in Reblatha, quod à Ieremias prius audierat; neque
 tamē vidit Babylonem, quod affirmarat Ezechiel,
 quia ed ingressus non est, nisi captus oculis.

E Vers. 8. *Mense quinto, septima die mensis, ipse est an-*
nus nonus decimus Regis Babylonis, venit Nabuzar-
dan, &c. in Ierusalem.] Hic locus paululum aber-
 rasse videtur ab eo quod habemus Ierem. c. 52. v.
 12. vbi decima die mēsis venisse dicitur Nabuzar-
 dan. Solutio difficilis nō est: cū enim Reblatha,
 vnde egressus est Nabuzardan, à Hierosolymis di-
 staret interuallo non modico in lib. 4. Regū, dies
 ponitur septimus, in quo inchoatus, apud Iere-
 miā decimus, in quo finitus est cursus: neque in-
 credibile est à militari progressu tres dies in spa-
 tio illo decurrendo fuisse consumptos.

F Vers. 9. *Et succedit domum Domini, & domū Regis,* 9.

Iudei in
speluncis
abscinditi.

& domos Ierusalem.] Hæc mense uno videntur esse facta, postquam capta est ciuitas, & in illâ ingressi Babylonij: nam, ut habemus ex Ieremias c. 39. v. 2. capta ciuitas fuit mense quarto. Hic autem v. 8. incendio data dicitur mense quinto. Neque credendū est conflagrassè prius ciuitatem igne, quām esset à Chaldaëis expilata. In perscrutanda autem ciuitate multū esse temporis possum, nemo dubitabit; quia copiosa erat ciuitas, & locuples, & speluncæ atque cauernæ plurimæ, in quibus occultari ciuiū opes, immo & ciues ipsi facile possent. Et ideo existimo dixisse Sophoniam cùm de hoc ipso ageret Chaldaeorum tempore c. 1. *Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in facibus suis.* Accensa lucerna scrutamur latebras, & in facibus dicuntur defixi, qui loca immunda, & humida subierunt, ut vitam illis tenebris ac squallore redimerent. Gerte Iosephus lib. 7. de bello c. 16. 20. & 26. de cloacis, speluncis, & sepulcris extractos esse dicit principes Sacerdotes, & potentes, qui eò se vita seruanda causa coniecerant. Quid ergo mirum si in conquirendis tota vrbe diuinitis, in scrutandis speluncis & latebris, mensim vnum positum esse dicamus?

Vers. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad Regem Babylonis, & reliquum vulgus, transiit Nabuzardan.] Ieremias c. 52. v. 9. paulo aliter. *Et reliquias populi, quæ remanserant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos vulgi.* Tria hic hominum genera notantur. Quidam enim, aut belli tempore, aut cùm primùm bellum incòmoda, & superior Chaldaeorum fortuna timeri cœperunt, transfugerunt ad Chaldaeorum castra, qui vitam ita conferuarunt suam, ut tamen seruitur, & exiliū non declinarint. Alij manserunt quidem in vrbe exæto iam bello, quibus ferrum pepercit & famas. Excesserunt alijs ex vrbe belli tépore, aut quia illos vrbs externo plena milite nō capiebat, aut quia belli molestiam sustinere non poterant. Et hī videntur hī vocari *reliquum vulgus*, & Ieremias c. 39. *Superflui vulgi.* Tam ergo qui in vrbe deprehensi, quām qui extra illam in Chaldaeorum manus inciderunt, abducti sunt Babylonem.

Vers. 12. Et de pauperibus terra reliquit vinidores, & agricultores.] Ieremias c. 52. v. 10. *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Iuda, & dedit eis vineas, & cisternas.* Hi, credo, neque belli consilia, neque manus, & arma cum aliis ciuibus coniunxerant: quod nō videtur ignorasse Nabuzardan. Quare cùm alieni iudicarentur à culpa, vīsi quoque sunt digni, qui expertes fierent à communi malo. Inter hos dimisso fuisse Rechabitas, de quibus suprà cap. 35. docet Historia Scholastica 4. Reg. c. 45. & Abulensis in 4. Reg. c. 25. q. 19. vbi eiusdem rei testé citat Iosephum. Illis ergo attribuit militū magister, quē à potentioribus abstulerat, vineas népe, & agros, quāc cisternarū nomine significatur, ea figura, quā id quod continet, per ea, quāc continentur, explicatur. In agris enim Solymitanis, in quibus aquarum copia non est, cisternæ effodiuntur, quāc pluviales aquas colligunt, ad potum & ad usus alios, quos exigit res hortensis, & rustica.

Vers. 13. Columnas autem areas, que erant in templo.] Iam minutum commemorantur omnia, quāc ex compilato atque combusto templo translata fuerunt Babylonem. Quāc hī explicare necesse non est, cùm id à nobis factum fuerit lib. 3. capite 7.

A *Vers. 18. Taliit quoque princeps militia Saraiam 13.*
Sacerdotem primum.] Numerantur hīc viri principes, qui adducti sunt in Reblatha ad Regem Babylonis, & ab eo capite damnati, quorum primus fuit Saraias Sacerdos summus, & ut habemus lib. 1. Paralip. c. 6. v. 14. pater Iosephus, & pater Eldras, lib. 1. Esdras c. 7. v. 1. Fuit in his Sopher, qui probabat tyrones. Non quilibet admittebatur ad militiam, nisi qui prius didicisset athleticen, aut gymnasticen, & illas denique artes, quāc docent inferre vulnus utiliter, aut declinare cautè. Quas expressit Vegetus lib. 1. a cap. 9. Hos igitur tyrones probabat Sopher, & quos idoneos ad tractanda utiliter arma nouerat, horum accipiebat nomina, & referebat in censum, alios à militari gradu repellebat Sopher, Hebr. **רְאֵוֹן** scribam significat. & hic videtur elegisse, & iuxta sui nominis notationem conscripsiisse milites.

B *Vers. 21. Percusitque eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha.]* Hi, quorum meminimus, familiares erant Sedeciae, quique illi assidui aderant, & quorum ipse consilio putabatur rebellasse, & violasse fidem, quam iure iurando interposito constringerant. Quo mortis genere hi viri Principes, & Sedeciae familiares sublati fuerint, Scriptura non docet. Fortasse verum est quod in nostris commentariis super Threnos meditabamur, ad illud c. 5. v. 12. *Principes manu suspensi sunt, facies senū non erubuerunt*, vbi putabamus non improbabile de hoc tempore locutum esse Ieremiam. Huc facit

C quod hoc supplicij genus videtur Chaldaëis esse non infrequens, vt cōstat in causa Mardochæi, & Aman, qui ligno, id est, patibulo destinati sunt, ille ab Aman, hic ab Assuero. Et lib. 1. Esdras cap. 6. v. 11. Darius tūc Chaldaorū Rex patibulū minatur illis, qui datum à se mandatum obsernare noluerint. *A me, inquit, possum est decretum, ut omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tolletur lignum de domo ipsius, & erigatur & configatur in eo.*

D *Hæc sua probabilitate non carent; illa vero meræ nugæ sunt, & vanæ Rabbinorum commenta.* Ad illud enim Thren. cap. 5. *Facies senum non fabula de erubuerunt.* ait Rab. Salomon nugatorum maximus, capta Hierosolyma vocatos à Nabuchodonosor Antiochiam, vbi tunc constiterat, Sanhedrim, id est, Senatores, & iudices ordinarios Iudaorum. Cūque videret eos vultu venerabilis, collocasse eos in aureis sellis, postulassetque ut sibi aliquid narrarent de lege. Cū autem ventum esset ad caput vbi de votorum religione sermo est, rogassetque an quis ab eo, quod religiosè promisit, recedere vlo modo posset, respondissentque

E *Eat ad sapientem, & soluer, & relaxabit ei.* Tunc intulisse Regem, *Vos igitur relaxastis.* Sedeciae iuramentum fidelitatis, quam mihi iurauerat: Et tunc iussisse vt ex aureis solii deiicerentur in terram, alligatisque capitum comis ad equinas caudas per terram raptarentur. Hæc Rabbi Salomon.

Vers. 22. Populo autem, qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor Rex Babylonis, prefecit Godoliam. Noluit Babylonius regionem vberem, quam suo tunc subiugarat imperio, relinquere à cultoribus vacuam. Quare his, qui reliqui fuerant, Godoliam præfecit, qui ita rem curaret, & promoueret publicam, vt tamen in officio, ac fide contingat, quam præstare Babylonii integrum debuerunt. Cur autem cùm alij reliqui essent Principes, quibus hæc mandari prouincia optimè potuerit, hic tamen ex omnibus electus fuerit, vt ex Hebreorum sententia docet Lyra, ea ratio fuit, quia ille ex vrbe ad Chaldaorum

Tyrones ad
militia pro-
bati.

Patibulum
Chaldais
visitatum.

Rabbinorū
fabula de
supplicio se-
niorū sūpto
à Nabucho-
donosor.

Godolias
Iudaorum
reliquis
prefectus.

*Godolias
cur cum po-
testate re-
latis.*

rum castra hortante Ieremia, transfugerat, cuius opera videtur inutilis non fuisse Chaldaeis, cum rerum, loco, tuncque peritus adiumento magno peregrinis hostibus esse potuerit. Quæ res ita demeruit Nabuchodonosoris & militiae principis animum, ut meritorum ergo principem constitueret, & quasi parentem illorum, qui ab ipsis in patriis sedibus essent relicti, & qui ex variis locis, ad quæ durante bello dilapsi fuerant, in urbem, tecedente hoste, remigraturi eredebantur. Quæ res Godolias intepstiuæ mortis causa fuit, est enim verisimile apud nonnullos e principibus, & olim in odiu, & nunc in suspicionem venisse, maxime cum illum auctum a Chaldaeis dignitate conspicerent.

17. Vers. 25. *Venit Ismael filius Nathania, filii Elizama de semine regio, & decem viri cum eo, percusseruntque Godolias, qui & mortuus est.*] Hæc historia latius explicatur à Ieremias c. 41. vbi nos ea de re pluribus, inde pete. Illud non omittam, tanto dolori fuisse Iudeis Godolias cædem, ut propterea indictum fuerit communè ieiunium, ut liquet ex Hebreorum Kalendario in mense Tisri, qui nobis est Septembris, ad diem tertium.

18. Vers. 26. *Confusus omnis populus a parvo usque ad magnum, & principes militum venerunt in Aegyptum, timentes Chaldaeos.*] De hac re latè Ieremias à c. 43. cùm viderent Iudei à contribuli suo Ismaële occisum esse Godoliam, quem Rex Chaldaeorum suo nomine præesse voluit Iudeorum reliquis, quod læsa maiestatis crimen videbatur, deinde occisos quoque fuisse Chaldaeos, qui tunc cum illo morabantur, suspiciati sunt a græ id laturum Babylonum, exacturumque pœnas non minus severas, quam paulo ante ab his, qui contra steterant, exegisset, statuerunt sibi omnino fugiendum in Aegyptum, quasi ad perfugium omni ex parte securum. Quod tandem fecerunt, licet ab eo consilio quam potuit pugnacissimè detergere voluerit Ieremias. Qua de re lege illius caput 41. 42. 43. 44. Et nostros ea in loca commentarios.

19. Vers. 27. *Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Iosachim Regis Iuda mense duodecimo, vigesima septima die mensis.*] Agitur hic de libertate, atque honore, quem consequutus est Iechonias anno à sua captiuitate, duraque custodia,

37. Ieremias cap. 52. v. 31. sic fuit spissus die dicit solutum à vinculis. Huiusmodi varia à variis afferuntur solutiones. Quidam obiisse putant Nabuchodonosor die ~~deinceps~~, & quia ex eius interitu pendebat Iechonias libertas, & regius honor, ab eo die eleuatum dici, & regium splendorum obtinuisse arbitratur. Alij eductum esse quidem die ~~deinceps~~ de carcere, eleuatum tamen fuisse ~~deinceps~~: neque eius rei defuisse videtur idonea ratio. Nam cùm primùm mortuus est Nabuchodonosor, eductus est de carcere filius Eulmerodach, qui regnum obtinuit pro parente. Satis autem habuit, si eo die Iechoniam eximeret à vinculis, cùm paterno funeri, cui regio more parentandum fuit, reliquum tempus impensum oportuerit. Exequiis autem patris persolutis, tertio post die Regem ascivit ad mensam, & inter Reges alios primum tradidit locum. Quare eleuatus dici potuit die ~~deinceps~~ Iechonias, quia tunc eleuari coepit cùm emersit à vinculis: eleuatus item die ~~deinceps~~, quia tunc honores illos consequutus est, quos prius animo designarat Eulmerodach.

Subleuauit Eulmerodach Rex Babylonis anno quo regnare coepit caput Iosachim.] Caput sumi pro eo cuius est caput, res est non obscura, quod nos

A pluribus ostendimus in illud Isaiae cap. 35. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Sic dicitur *caput canis, caput colubris*, pro colubro, & cane. Plura ibi nos adduximus exempla, quæ id planè coniunctum. Subleuatum ergo esse caput Iosachim, nihil est aliud, quam Regem illum libertatem assecutum, & gloriam.

De carcere.] Nulla fides habenda Barbaris, his 21. maximè, qui falsa non tam ducuntur, quam abducuntur religione. Fuit planè infidelis & Barbarus Nabuchodonosor in Regem, qui depositis armis ultrò seipsum, & civitatem tradidit. Quem coniecit in carcere, in eoque detinuit non minus triginta septem annis; nam tricesimo septimo anno a transmigratione emersisse dicitur de domo carcereis.

Vers. 28. *Et posuit thronum eius super thronum Regum.*] Suberant Reges alij Babylonis imperio,

quos in Regia urbe, & regni capite, soli eos esse vuere, non est incredibile; sicut nostro saeculo fieri videmus, in quo Reguli, ac Principes magnorum Regum carias obire solent, & regium stippare latius, & alia non indecora munera praestare. Quales videntur fuisse illi, quos Assuerus ad coniunctionem asciuit, qui dicuntur principes fuisse, Esther c. 1. aut, quod mihi verisimilius est, earum prouinciarum, quas suo adiunxerat imperio, Reges secum habuerat Babylonius, ne si in prouinciis relinquerentur, aliquid tentarent noui, & pacem perturbarent imperij. Sicut fecit Adonibezzech, Iudicum cap. 1. qui septuaginta Reges, quos è Regia dignitate depulerat, apud se retinuit. Existimmo autem earum prouinciarum Reges, quas debellauit Nabuchodonosor, fuisse in Babylonia, puta, Regem Moabitum, Ammonitarum, Idumæorum, Cedarenorum, Elamitarum, Tyriorum, de quibus capite Ieremias 49. Immo credo in vinculis fuisse sicut Iosachim, & Sedecias, & à successore Eulmerodach fuisse extractos à carcere, & statum liberum, atque ingenuum fuisse adeptos; inter quos primū locum habuit Iosachim: in hoc ego postremum magis inclino, ut in re tamen dubia, non nimis tenaciter.

Vers. 29. *Cunctis diebus vita sua.*] Quantum temporis vixerit cum regio splendore Iosachim, nihil habemus ex sacra Scriptura certum: vixisse tamen non diu, satis est verisimile, qui iam ætate grandi egredius fuit à carcere, annos nempe natus quinquaginta quinque. Nam, ut ex cap. 24. libri 4. Regum constat, decem & octo annorum erat, quando translatus est in Babylonem. Ex hoc capite habes anno trigesimo septimo à translatione illa è vinculis emersisse, ex quibus summa colligitur annorum quinquaginta quinque.

Cur extractus fuerit ab Eulmerodach, cùm primū regnum init Babylonicum, eam ratione adducunt Hebreorum magistri, quibuscum sentiunt ex nostris non pauci, vt Lyra hinc, & Abulensis in caput 25. lib. 4. Regum, quæst. 37. Quia cum eo tempore, quo Nabuchodonosor cum bestiis egit, regnum administravit Eulmerodach: vbi autem exacto septennio sibi ipsi, ac regno restitutus est, cùm audisset, filium, aut in administrando regno multa peccasse, aut, sicut alij volunt, de parentis infancia fuisse gatsum, illum coniecit in custodiam illam, in quam aliquot annos antè Iechoniam incluserat. In communi ergo domicilio, longo illo tempore, amicitiam non vulgarem cum Iechonia contraxit; qualis illa solet esse, quam communis, eadémque aduersa fortuna conciliat.

Quod

25. Quod verò addunt aliqui, vt refert Hierony-
mus ad illud capitū 14. *Ifaia, Tu autem projectus es
de sepulcro tuo*, consilio Iechoniae exhumatum pa-
ternum cadauer ab Eulmerodach, & eiusdem
consilio, vt Abulensis suprà dicit, & Haymo, &
Hugo in citatum proxime Isaiæ locum, & His-
toria Scholastica in caput 5. Danielis, diuinum esse
cadauer in trecentas partes, inque totidem vul-
tures distributas, ne crederetur esse victurus, re-
uersurisque in regnum, sicut paulo ante ex statu
quasi belluino, non admodum diuerso redierat,
planè Rabbinicum olet cerebrum, qui, vt aliquid
referant inauditum, & prodigiosum, quid re-
rum natura postulet non considerant.

26. Quæret hic curiosus aliquis, quid actum fue-
rit de Sedecia, cuius suprà lamentabilem tragœ-
diam accepimus. Primum non constat ex sacra
Scriptura, quid actum de illo fuerit, postquam
translatus fuit è Babylone, nisi quod regij fune-
ris honorem consequutus fuerit: cui videlicet
conclamatum sit, *Væ domine, & vae inclite, iuxta
illud Ieremias capitis 34. In pace morieris, & secun-
dum combustiones patrum tuorum Regum priorum, qui
fuerunt ante te, sic comburent te, & vae domine,
plangent te.* Obiisse illum in carcere, constat ex
Ieremias capite 52. versiculo 11. *Et posuit eum in
domo carceris usque ad diem mortis eius.* Tradit idem
Iosephus libro 10. capite 11. elatumque dicit
cum regia pompa. Idem tradunt Historia Scho-
lastica capite quadragesimo sexto in libri quartū
Regum, & Abulensis suprà, quæst. 38. De ge-
nere mortis agit Historia Scholastica, & ex ea A-

27. ignominiosa
mortis He-
breorum
fabula.

De Sedecia
ignominiosa
mortis He-
breorum
fabula.

gnominio
mortis He-
breorum
fabula.

28. Hæc Historia Scholastica, in quibus aliqua
improbat Abulensis, miror magis, cur aliquid
probet; nisi quod de funere regio tradit; quia id
ex Ieremias constat, vt proxime diximus. Magis
probat poculum esse datum Sedecia quod men-
tem tuibaret, & ebrietatem induceret, vt nudi-
tatem suam ostenderet lascivis conuiuarum oculis,
sicut multis ante sæculis contigit Noë Gene-
sis 9. Quam ignominiam lapsus, & temulentus fa-
cile subire potuit Sedecias, cum Hebreorum mo-
re, puto etiam & Chaldaeorum, femoralium ve-
lamen non haberet, in quam cogitationem adducit
illud Abacuc capite 2. versiculo 15. *Væ qui po-
tum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians ut
aspiciat nuditatem eius. Quem locum exponi pos-
se putat de Nabuchodonosor, sicut Hebreo-
rum doctores, in eam quam dixit Abul-
ensis, sententiam exponunt. Qui etiam addunt,
id apud Babylonios fuisse valde visitatum in
conuiuis, vt aliorum se crapula ac nuditate, quasi
pars esset splendida mensa, oblectarent. Sed
quanta fides adhibenda sit Hebreorum nugis,
non semel admonuimus. Illud ad extremum addo,
quid in exequiis Sedecia cantatum esse dica-
tur à Iudeis, qui patro more illum intulere se-*

**Turpis vo-
luptas in
Chaldaeorum
conuiuis.**

Gasp. Sancti Com. in lib. Reg.

A pultuæ. Sic enim in Sederolam capite vigesimo-octauo. Interiit Sedecias, & de ipso hunc instaurarunt planctum: *Heu! qui mortuus est Rex Sedecias, bibens feces omnium etatum, id est, ut ibi Genesius exponit, luens peccata omnium superiorum etatum.*

**Que profana tempora & quo ordine in
quatuor libros Regum inciderunt.**

Q Væ in hoc libro quarto continentur, ini-
tiū duxerunt à Ioram filio Iosaphat, id
est, anno ab orbe condito 3085. vt nonnulli vo-
lunt, & vt placet aliis, anno 3280. de qua re mira
est inter autores dissensio. Et finiuntur in anno
Sedecie vndeclimo, quo tempore exustum est tem-
plum, & excisa funditus Hierosolyma. Quare liber
hic annis absolutur ferme 400.

Sub Ioram Rege Iuda, fuit alter Ioram Rex 30.
Istaël, Helisæus Propheta. Hoc anno obiisse exi-
stimat Homerus anno post captam Troiam
272. & fluuius, qui prius dicebatur Albula, voca-
tus esse Tibris, à Tiberino Latinotum Rege, qui
ibi summersus est. Huic successit frater Ochozias,
qui uno tantum regnauit anno, & huic Athalia
mater, quæ regnum sexennio moderata est. Quo
tempore regnauit in Israël Iehu filius Namsi, qui
domum abolevit Achab, & floruit Iónadab Re-
chabitarum princeps. Hoc tempore à Didone
creditur ædificata Carthago.

C Ios in Iuda annos regnauit quadraginta, quo
tempore regnarunt in Israël Iehu, Ioachaz & al-
ter Ios. Hoc tempore occisus fuit in templo Za-
charias filius Ioiadæ sacerdotis. tunc autem, vt
refert Historia Scholastica ex Epiphanio, apud
quem tamen ego non inuenio, cessavit manife-
stum Dei oraculum ex Ephod, & Debir, id est, de
interiori parte tabernaculi, polluto enim templo
innocenti sanguine, indignus videbatur populus,
quem Deus tali dignaretur honore. Sub hoc tem-
pus floruisse creditur Lyeurgus, à quo Lacedæ-
mones leges acceperunt.

Huic successit Amasias, cuius tempore re-
gnarunt in Israël Ios, & Ieroboam illius fi-
lius. Prophetarunt Ioeil, & Amos. Magnum à
Ios Rege Israël detrimentum accepit Hiero-
solyma.

Ozias, qui & Azarias, annos regnauit quadra-
ginta, cui in Israël regno σύχρονοι fuerunt Ie-
roboam filius Ios, Zacharias, Sellum, Manahem,
Phaceia. Prophetarū Ionas, Amos, Oseas, Abdias,
Iasias. Sub Ozia accidit terre motus, de quo Amos
c. 1. Sub hoc Rege institutæ sunt Olympiades, &
defecit tempus, quod μυθικόν, id est, fabulosum di-
cebatur, & inductum est ἵσταξις, in quo notatis
temporibus plus habuit fidei, quod literis deinceps
mandatum est. Sub hoc tempus vixit Sardanapalus,
in quo Assyriorum Monarchia defecit,
iuxta Eusebium, quem ex recentioribus multi se-
quentur.

E Ioathan Rex Iuda Ozias successor, cuius tem-
pore regnauit in Israel Phacee filius Romeliq. Pro-
phetarunt præter alios, de quibus proxime, Na-
hum & Michæas. Arsaces vieto Sardanapalo Af-
syriorum Monarchiam ad Medos transtulit. Nati
sunt duo fratres Roman Imperij prima capi-
ta, & ciuitatis Imperij tanti Reginæ condito-
res.

Sub Achaz Phacee filius Romeliæ, & Osee reg-
narūt in Israel in Damasco Rasin. Sub Achaz sub-
AA A 3 iugata

iugata est Damascus ab Assyriis, & magna pars A regni Israëlitici ad Assyrios translata à Theglathphasar, & virbis Romanæ iacta fundamenta.

36. Sub Ezechia regnat Osee in Israël, cuius anno nono & Ezechiæ sexto capta est à Salmanasar Samaria, & regnum Israël prouersus extinctum anno 350. ex quo sumpsit exordium. Sub hoc captiuus in Niniue abductus est Tobias. Sub hoc Rege Sardanapalo occiso, existimatur Assyriorum Imperium defecisse. Floruit Sibylla Erythræa, ut ex aliorum sententia refert Aug.lib. 18. de ciuitate cap. 23. & septem Sapientes ex eodem ibidem capite 24. licet alij conferant in tempus Manasse. In hoc tempus incidit regnum Midæ apud Phrygios, & apud Lydios Candaulis & Gygis, ut auctor est Eusebius.

37. Sub Manasse fuisse existimantur septem Græciæ sapientes, Alcæus, Simonides, & Archilochi Poëtae. Regnauit Romæ Numa, qui duos anno vulgari menses adiecit. Sub Manasse contigisse creditur historia Iudith. Floruit Sibylla Samia. Isaïas moritur. Amon Manasse filius duobus regnauit annis. Neque sub eo aliquid accidit, quod referatur vel ad Manassen parentem, vel ad Iosiam filium.

38. Sub Iosia prophetarunt Ieremias, Baruch, Sophonias, & Olda prophetissa. Regnat Romæ An-
cus Martius, & Tullus Hostilius, florent Thyrtaeus, Aristomenes, Arion Musicus, Zaleucus legislator, Phalaris Tyrannus, Terpander Musicus, Sappho, & Stesichorus Poëtae.

39. Iosia successit Ioachaz, qui tribus regnauit mensibus, & Ioakim, qui vndecim annis, & Iechonias, seu Ioachin, cuius trimestre regnum. Sub his tribus grauiter afflcta fuit, atque attrita tam ab Ægyptiis, quam à Chaldaëis res Iudaica. Ducti sunt captivi Babylonem Daniel cum aliis tribus pueris, Ezechiel, & Mardochæus. Sub his Regibus vixisse existimantur Draco legislator, Anacharsis Scytha, Epimenides, Anaximenes, Xenophanes. Sub hoc tempus vixisse existimatur Æsopus fabulator.

40. Sedecias post hos vndecim annis regnum obtinuit Israël. Sub illo templum Salomonis exstum, & excisa funditus Hierosolyma fuit. Ex-

A terna tempora explicit satis Augustinus lib. 18. cap. 25. de ciuitate. Cuius huc verba transferam, carptim tamen, à quibus parum discrepat Eusebius. Sic autem ibi Augustinus. *Regnante apud Hebraeos Sedecia, & apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Mario, ductus est captivus in Babyloniam populus Iudeorum, eversa Ierusalem, & templo illo à Salomone constructo. Eo tempore Pithacus Mitilenaus unus de septem sapientibus fuisse perhibetur, & quinque ceteros, qui ut septem numerantur, Thalati, quem supra commemoraimus, & huic Pithaco adduntur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonie tenebatur. Hi sunt autem Solon Atheniensis, Chilo Lacedemonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lendius, Bias Prieneus. Eo captivitatis Iudaicae tempore & Anaximander, & Anaximenes, & Xenophanes Physici claruerunt. Tum & Pythagoras, ex quo cœperunt appellari Philosophi.*

B Hic est finis commentariorum in quatuor libros Regum, in quos à me neque segnis, neque paucorum dierum opera collata est, vtinam cum aliquo tanti laboris pretio. Quod tunc fore iudicabo non exiguum, cum lectori pio aliquem usum attulisse cognouero, cui quām maximè potui accurate seruui. Sed illud erit maximum, quodque præcipue religiosus scriptor spectare debet, quodque ego, si non meum mihi de meis iudicium illudit, expectau in hoc longo atque impedito negotio, si Dei honori & proximorum utilitati seruiat. Tunc autem satis abundè factum erit studio nostro. Si quid opere in longo peccatum à me fuerit, ignosci mihi postulo: atque etiam spero ab illo, qui mentes hominum scrutatur, & nouit. Neque quicquam esse volo, aut in his libris, qui nunc in hominum oculos subire studēt, aut aliis, qui iam antè in publicam lucem prodierunt, quod non solùm Ecclesiæ, à qua nec latum vnguem aberrare volo, sed doctorum hominum censuræ subiectum esse etiam atque etiam volo.

C Inchoati fuerunt hi in quatuor libros Regum 42. Commentarij Compluti anno 1620. ad Nonas Ianuarij; & anno 1622. ad Idus Martias absoluti. Ad gloriam Dei, & B. Virginis, S. Ignatij patris mei, & S. Francisci Xauerij quos mihi ad hoc opus patronos, & tutelares aduocavi.


COMMEN

COMMENTARII
IN DVOS LIB.
PARALIPOMENON,

*CVM INDICE EORVM QVÆ EX
iisdem libris in Commentariis Regum explicantur.*

COMMENTARII
INDAVOS LIB.
PARALIPOMENON

CVM INDICE EORVM QVIBUS
Indicatio Commentarii Indavos Libri Paralipomenon



P R A E F A T I O.

STATVERAM, benigne Lector, cùm aggressus sum in quatuor libros Regum commentarios, non minori studio atque opera alios item edere in duos libros Paralipomenon, quia alter mancam arbitrabar futuram historiam sacram, cuius in duobus illis libris videbam non exiguum, aut leue supplementum. In ipia tamen commentatione ne quid studiosus Lector desideraret, quicquid ad eam historiam, cui tunc dabamus exposituam operam, pertinere posse videbatur, ex libris Paralipomenon sumpsi, contulique, licet in diuersum opus, non tamen in argumentum dissimile. Quare non putavi necessarium illa eadem tractare rursus, & quasi actum agere, quod non probat vulgare proverbiū. Ne tamen, quod principio placuit, omnino deserere, aut improbare videar, indicem addidi, per quem indagare possit curiosus Lector, quid à nobis, & quo loco in nostris Commentariis explicatum sit, quod in libris Paralipomenon explicatum desiderat. Quia verò pauca non sunt, quae ad libros Regum transferri commode non poterant, illa hīc seorsum breuiter exponemus, neque tamen omnia, sed illa tantum, quae interpretis operam desiderate videbuntur. Atque ita fiet, ut ferme integri possint in libros Paralipomenon prodire commentarij.

PROLEGOMENA IN LIBROS PARALIPOMENON.

Paralipomenon cur dictum, verba dierum. Prolegom. I. n. 3. 4. & 5.

Cur dictum Paralipomenon. Proleg. 4. n. 15.

Quid in his libris continetur. ibid. 15. & 16.

Quis scriptor. ibid. n. 18.

In Paralipomenis illa traduntur, quae relictā sunt in libris Regum: & quae obscurius ibi dicta, magis explicata lib. 3. Reg. c. 3. n. 26. & ibid. n. 49. & cap. 6. n. 27. & cap. 7. n. 9.

IN LIB. I. PARALIPOMENON.

1. **A**D caput usque decimum nil aliud ferme est, quam familiarum propagatio, & series ab Adamo usque ad tempora soluta captiuitatis Babylonicae. Quare in his capitibus, nihil ferme est, quod magno lectori futurum sit ex vsu; præsertim cum Apostolus moneat ne de genealogiis admodum laboremus; nonnulla tamen, eaque strictim obseruanda.

CAPUT PRIMUM.

2. Vers. 43. *Isti sunt Reges qui imperauerunt in terra Edom, antequam esset Rex super filios Israel.* [Antequam in Israele constituti essent Reges; id est, Gasp. Sanctij Com. in lib. Paralip.

A longo ante Saulis tempora interuallo, fuerunt Reges in Idumæa. Qui cum regia potestate atque insignibus videntur Idumæorum Imperij summam tenuisse, usque ad illos, qui versu 51. numerantur, qui appellati sunt Duces, mutata, ut apparet, reipublicæ forma, licet de illa non constet, neque de tempore, in quo illa noua administrationis ratio introducta est. An verò Esau Idumæorum pater, qui nomen ē suo nomine Pronunciæ indidit, Rex fuerit, ex his, quæ mox dicentur, sumetur aliqua coniectura; obscura tamen, sicut sunt plerique aliae in his genealogiis, quæ Moysis tempora præcesserunt.

*Idumæaque
administra
tionis for
ma.*

AAA a 3

Vers. 44.

Iobab ereditur esse Iob. 3. Vers. 44. *Mortuus est autem Bale, & regnauit pro eo Iobab filius Zare.]* Apparet horum Regum tempore non fuisse hereditatiam regni successiōnem, quando Bale mortuo succēsūt Zare filius; quod similiter accidit aliis, qui in hac Regum serie numerantur. Immo pauci numerantur filii, qui parentum loco in regno sint sufficiēti. Hunc Iobab quidam Iob esse putant: ita existimasse aliquos refert Hieronymus in traditionibus ad c. 36. Genes. Sed Hebræi illum ex Nachor ortūm esse dicunt, & genere cum Abrahāmo coniunctum, quorum ipse sententia subscripta in traditionibus Heb. super Genes. ad c. 22. Lyra ad eundem locum. Rupertus lib. 6. in Genesim cap. 34. Histor. Schol. c. 58. Frequentes alij Iob fuisse credunt, in quibus est Philo, quæstionibus in Genesim, citatus ab Abul. q. 22. vbi dicit σύγχρονος fuisse Iacob, & illius filiam Dinam vxorem duxisse. Idem omnes ferme interpretes tam in hunc locum, quam in caput 36. Genesim, vbi eadem ferme reperuntur verba. Abulensis, Pereira, accurate, & latè Cornelius Pineda in cap. 1. Iob v. 1. Ex patribus fuisse de stirpe Esau, tenent Aristæas apud Eusebium lib. 9. de præpar. Euang. c. vltimo. Athanasius in Synopsi in commemoratione librorum sacræ Scripturæ lib. 17. Chrysostomus homil. 21. de patientia Iob, vbi Iob filium dicit esse Zara, illum nempe, qui vocatur Iobab. Hoc idem Augustinus lib. 18. de ciuit. c. 47. vbi illum Idumæum vocat: Theodoretus Iobab filium Zara Iob esse docet q. 92. in Genesim. Quod etiam expressum apud Septuaginta inuenies in fine libri Iob.

4. Porrò hic Iobab, siue Iob, pronepos fuit Esau, qui genuit Rahuel, Rahnel Zara, & hic Iobab, qui succēsūt Bale in regno; non tamen hereditario iure, cùm non esset natus parente Rege. Bale autem fuit primus, qui regium sibi nomen aut vendicauit, aut accepit oblatum, vt constat tam ex hoc loco, quam ex cap. 36. Genes. v. 32. Ex quo constat Esau non fuisse Idumææ Regem, sed Ducem fortasse, quales ante hoc tempus in Idumæa præcesserunt.

5. Porrò sicut in Hebræorum gente, & Israëlis familia primum fuerunt Iudices, seu Duces, à tempore videlicet Iosue usque ad Samuelem, & Saulem, deinde Reges ad captiuitatem usque Babyloniam, deinde vero post remigrationem ab exilio Duces, quorum primus fuit Zorobabel: sic etiam in Idumæa republica, vt constat ex cap. 36. Genes. primum fuerunt Duces, qui præfuerunt Idumæis usque ad Bale, & Iobab: deinde Reges usque ad primum Ducem Adad, cui plures alij Duces succēserunt.

CAPVT SECUNDVM.

6. Vers. 3. *Fuit autem Her primogenitus Iuda, malus coram Domino, & occidit eum.]* De hoc pluribus Genes. c. 38. v. 7. vbi duo filii Iudæ Her, & Ona fuisse dicuntur scelerati, & eam ob causam imperfecti à Deo. Quodnam fuit Ona scelus, ipsa docet Scriptura loco Genes. proximè citato; quia contra quam natura exigit à coniugali congressu, ex quo formari soboles debuit, semen effundebat in terram. Nihil eiusmodi de Her Scriptura tradit; hoc tamen esse scelus, propter quod à Deo percussus est, discunt communiter interpretes. Pro omnibus vnum accipe Cassianum collationum 8. c. 11. Dicunt autem Hebræi Thamar, quam Her vxorem duxerat, fuisse pulcherrimam, cui ne concepta proles aliquid de specie, atque coloris suavitate

detraberet, atque ipse minus ex deflorescente uenititate voluptatis caperet, sic cum uxore concubuisse molliter, vt ex illa consuetudine nulla sequeretur generatio. Quomodo occisus fuerit Her, an à dæmone, incertum est. Hoc fortasse verum, sicut ob idem flagitium septem viri Saræ imperfecti sunt Tobiæ cap. 6. de quibus Angelus ad Tobiam, *Qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & sue libidinē ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.*

Vers. 13. *Ifai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, &c.]* Quomodo hīc Ifai septem dicantur esse filij, cum tamen lib. 1. Regum cap. 16. octo numerentur, diximus ad illum locum num. 16.

Vers. 51. *Fuerunt autem filij Sobal patris Caratharim, qui videbat dimidium requietionis.]* Requietio, Requies, seu, quies pro commoratione ponitur, id est, pro loco, vbi aliquis certa, atque stabili mansione confedit: quale est sepulchrum, domus; denique vbi stare quasi in propria statione cœperunt vagi, ac peregrini pedes. Sic sanè Maro requiem Troianorum appellavit locum, vbi proprium, ac stabile domicilium collocarunt; sic de Italia lib. 8. Aeneidos,

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Et Lucretius lib. 1. quietem posuit pro ferarum latibulis.

Namque canes, & montuage persepe ferai

Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

C Id quod in Scriptura frequentius occurrit. Et hoc ipsum nomen pro commoratione sèpius usurpat, Ifai. 66. v. 1. vt est in antiquis Bibliis. *Quis est iste locus requietionis meæ?* Sophonias c. 2. v. 6. requiem vocat loca vbi pascuntur, & stabulantur greges. *Et erit funiculus maris requies pastorum, & caula pecorum.* Et terra promissionis, vbi præcipuo quodam modo Deus habitat, ad quam Deus suum ex Ægypto deducebat populum, & templum, vbi stabile Deus habuit domicilium, requies dicitur Dei. Psalm. 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam.*

& vers. 14. *Hec requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo.* Neque aliter puto exponendum illud Genes. c. 49. v. 14. de Issachar, *Vidit requiem quod est bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum.* Vbi epexegesim agnosco, in qua eadem iteratur sententia: nihil enim aliud esse puto requiem bonam, quam terram optimam. Illæ igitur Gentes, de quibus hoc loco, quæ ortæ fuerunt à Sobal, diuiserunt inter se requietionem, id est, regionem, quam videbat, id est, quam obtinuerat Sobal.

Vers. 55. *His sunt Cinæ, qui venerunt de calore patris domus Rachab.]* Qui fuerint Cinæ, diximus Cinæ qui, lib. 1. Reg. c. 16. num. 16. & super Ieremiam c. 35. ad illud v. 2. *Vade ad domum Rechabitarum.* Illud de calore, aliquid habet obscurius, quod illustrat illa consuetudo Scripturæ familiaris, & à nobis sèpius obseruata, quæ explicationem nominis adhibet pro nomine. Cuius rei innumera occurunt exempla: quatuor habes statim c. 4. v. 22. de quibus statim.

Sic ergo pro voce חָמָת chamañ, quæ hoc loco nomen est proprium illius, ex quo Cinæorum familia propagata est, vulgatus interpres significatio nominis pro transtulit calorem, quem vox illa significat, cæteri autem interpretes, & in his Septuaginta, transtulerunt Hamath, & codices nuper à Sexto correcti, vt in calore proprium viri nomen agnoscamus, litteram maiusculam in principio adhibent.

CAPVT

CAPUT TERTIVM.

Vers. 1. *David verò hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron.*] De his actum est lib. 2. Reg. c. 3. num. 2.

Vers. 4. *Vbi regnauit septem annis, & sex mensibus.*] Hoc à nobis explicatum est lib. 2. Reg. c. 2. n. 13.

Zorobabel dñi seruum nomen. 9. Vers. 19. *De Phadaia orti sunt Zorobabel.*] V. 17. aliquot filij numerantur Iechonias, inter quos fuerūt Salathiel, & Phadaia, vterque filius, ut opinor, primogenitis, nomen imposuit Zorobabelis. Zorobabel autem iste non fuit Salathielis filius, qui inter Christi progenitores numeratur à Matthæo c. 1. sed alius, cuius hoc tantum loco nomen auditur. Ille verò Salathielis dicitur filius, non tantum apud Matthæum, sed aliis sāpe locis; vt Aggæi c. 1. & 2 multis locis. Neque minus sāpe apud Esdras c. 1. Deinde, quia Zorobabelis qui est apud Matthæum, filius dicitur Abiud: alterius autem Messias. Sunt qui putent Zorobabelem virtusque esse filium Phadæ natura, Salathielis adoptione, quod mihi non displicet.

CAPUT QVARTVM.

10. *In domo iuramenti.*] Ut dicebamus pa-
lto ante, significatio nominis pro nomine proprio
sæpius usurpatur. Id quod in hoc libro primo ad
caput usque decimum frequens est. *Iuramentum*
hoc loco positum pro γένεσις Esaia, in cuius domo
erant, qui operabantur byssum. Interpretes alij
cum Septuaginta vocem reliquerunt Hebraicam.

Vers. 22. Hic quoque quater pro nominibus
propriis eorum adhibetur significatio. *Quid sit*
illud, qui stare fecit solem, explicuimus lib. 4. Reg. c.
20. num. 24.

11. *Qui principes fuerunt in Moab & qui reuersi sunt in Lahem.*] Hinc multi existimaruī sermonem hīc
esse de Elimelech, qui cūm populus fame labora-
ret, vt habes in libro Ruth, in regionem secessit
Moabitidem, vnde tandem rediit in Bethlehem.
Huius imperio dicunt constitisse solem, quam nos
sententiam lib. 4. Reg. vbi suprà, confutauimus.
Porro *Lahem* pro Bethlehem usurpari non est alienum ab Hebræorum consuetudine, qui ex dictio-
ne composita alteram compositionis partem ali-
quando detrahunt: vt pluribus exemplis ostendi-
mus apud Isaiam c. 15. n. 2. Et est exemplum huic
accommodatum, & simile lib. 1. Paral. c. 20. v. 5.
Nam David, qui à vulgato dicitur *Bethlehemites*, in
textu Hebraico *Lahemites* vocatur, vt notauit Hiero-
nymus in tradit. Hebr. ad hunc locum, & Ruth
c. 1. vbi Noëmi, & Ruth reuersæ dicuntur in Beth-
lehem, Hebr. est *Lahem*. Sed reuera Elimelec in Beth-
lehem non est reuersus, quia in regione Moabitide
mortuus est: vnde aperte conuincitur hīc de Elimelech non esse sermonem.

12. *Filiij Simeon, Namuel, &c.*] Quæ hīc dicun-
tur de tribu Simeonis, obscura sunt: quia de hac
re nullum apparet in Scriptura vestigium, ex quo
quid ad hīc explicanda opportunum, indagemus.
Id habemus ex c. 19. Iosue, tribum Simeonis suum
habuisse funiculum in possessione, & funicula filiorum Iuda. Quas verò habitauerint ciuitates, cō-
stat ex c. citato Iosue, & ex hoc loco. Quarum ali-
quas David restituit suæ tribui, nempe Iuda, vt legi-
mus hīc v. 31. Sanè constat Siceleg, quæ inter ci-
uitates Simeoni ascriptas numeratur, contributā

A esse à Dauid sorti Iuda lib. 1. Reg. c. 27. à quo plu-
res aliae ciuitates, quæ ad tribus alias pertinerent,
adiunctæ sunt eidem tribui, vt docuimus lib. 4.
Reg. cap. 14. ad illud v. 28. *Quomodo restituit Damas-*
cum, & Emath Iude in Isræl. Addo ego plurimas ci-
uitates ablatas videri è Simeonis tribu, cūm essent
in Iudæ funiculo, & inter decem tribus, & duas al-
ias antiqua essent odia, & assida bella, ab eo tē-
pore, in quo primum inter se à Salomonis morte
dissederunt. Quare Simeonis filij, quo tempore re-
gnauit Ezechias, coangustati finibus alias sibi re-
giones ad habitationem, & armentorum, peco-
rumque pascua quæsicerunt, de quibus hoc loco:
neque tamen diu amplificatis finibus vti licuit, nā
anno Ezechiæ 6. vt habes lib. 4. Reg. v. 10. capta est
Samaria, & tribus Simeonis, cum aliis pluribus ad
Assyrios translata.

CAPUT V.

Vers. 1. *Filiij quoque Ruben primogeniti Isræl.*] Pri-
mus filiorum Iacob fuit Ruben, Gen. c. 29. v. 33.
atque ideo ad illum, vtpote maximum natu, perti-
nebat, quod primogenito à consuetudine tunc in-
troductum, & pōst à lege constitutum est. Sed quia
ingressus ad Pātris concubinam paternum thala-
mum violauit, dignus visus est, qui ab eo, quod
natu maximo natura concessisset, excideret. *Quid* *Quæ primo-*
autem primogenito etiam ante legem deberetur, *geniti præ-*
docuit Iacob iamiam aëturus animam, Gen. c. 49.

C v. 3. *Rubē primogenitus meus, tu fortitudo mea, & prin-
cipium doloris mei, prior in donis, maior in imperio: ef-
fusus es sicut aqua, non crescas.* Hoc autem erexit primogenito Ruben translatum est ad Ioseph, &
Iudam. Quid ablatum fuerit Ruben propter iniuriam temerati paterni thalami, incesto concubitu,
docuit Chaldæus ad locum Genes. de quo proxime. *Tu, inquit apud Chaldæum Iacob, accepturus*
eras tres partes, scilicet primogenitaram, sacerdotium &
regnum. Hæc tamen omnia perdidit Ruben. Nam
sacerdotium datum est Leui, regnum Iudæ, primogenitura Ioseph. De sacerdotio ablato à Ruben
nihil hīc audimus, scimus tamen datum esse Leui.
Quod verò sacerdotalis honos ante datam legem
ad primogenitum pertineret, cōmunis est sensus,
quod docuit Hieronymus epi. 126. ad Euagrium.
S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. & eam ob rem ad Hebr.
9. profanus dicitur Esau, quia cum primogenito illi
quoque debitum vendidit sacerdotium. Ita ibi S.
Thom. & cum illo ibidem complures alij. Sed re-
gnum, & locus inter fratres primus transit ad Iu-
dam, vt pater Iacob moritus prædictus Gen. 49.
v. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femo-
re eius.* Quod hoc etiam expressum est loco. Sic e-
nim statim v. 2. Porro Iudas, qui erat fortissimus inter
fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt.
Quod autem locus primus, & quasi dominatus
inter fratres, deberetur primogenito filio, satis cō-
stat ex benedictione Isaac Gen. 27. v. 29. *Seruant
tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratribus
tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuae.*

Primogenita transferunt ad Ioseph. Primoge-
nita autem appello quæ prius consuetudine, de-
inde verò lege à patribus natu filiorum maximo
tribuebantur. Hæc porro erant *duplicia*, id est, du-
plice maior pars hæreditatis paternæ, quām cuius
fratrum ex eadem hæreditate contingere. Sic
sanè Deut. cap. 21. v. 16. *Si voluerit homo sub-
stantiam inter filios suos dividere, non poterit fi-
lium dilecta facere primogenitum, & præferre*

filio odioſe; ſed filium odioſe agnoscet primogenitum, datque ei de his que habuerit cuncta duplia: iſte eſt enim principium liberorum eius, & huius debentur primogenita. Hinc facile colligitur illa vocari primogenita, quæ aliorum ſortem excedunt proportione dupla. In hunc ſenſum explicabamus l.4 Reg.c.1. v.9. illud Helisæ ad Eliam, ſiat in me duplex spiritus tuus. quiaſi Helisæus primogenitus ſupra reliquos diſcipulos, & filios Eliæ, iuxta legem duplificatam ex Eliæ ſpiritu portionem accipiat.

^{15.} Duplex porro portio ſupra reliquos fratres data eſt à parente Ioseph, priuum Gen. cap. 48. v. 22. vbi ſic Iacob ad Ioseph, do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tulis de manu Amorhei in gladio, & arcu meo: deinde cum c. eodem v.5. in magna hereditate, id eſt, in regione Chanaanitide, quæ ipſi à Deo in poſſeſſionem promiſſa eſt, duplicem portionem legauit Iosepho, duas nimirum ſortes, cum tamen aliis ſingulas assignaret. Dum enim duos Iosephi filios, Ephraim, & Manasse, numerauit in ſuis, duas Iosepho ſortes attribuit, quas illius posteri ſuo deinde tempore poſſederunt, quæ vocatae ſunt tribus Ephraim, & tribus Manasse, quæ aliquando etiam tribus appellantur Ioseph. Multas alias fuſſe primogenitorum prærogatiuas, tradit Abulensis hic q.5. & Peterius in c.27. Genes. v.29. inde pete.

^{16.} In reliquo capitio nihil occurrit quod magno pere lucem dederet interpretis. Tātū enim ostenditur quemadmodum tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, quæ in regione Gallaide ultra Iordanem conſiderunt, expugnatibus antiquis habitatoribus regionem illam Transordanam ſubiugarint, ac tandem omnium primi à ſuis finibus extorres abducti fuerint ab Aſſyriis. Qua de re pluribus nos in lib.4. Reg. variis locis egimus.

CAPVT SEXTVM.

^{17.} Hic nihil eſt, quod à nobis studiosus lector deſiderare poſſit, cum omnia eo ſint ordine digeſta, vt commentaryne non videantur fieri poſſe magis illuſtria, tantum enim numerantur, qui ex Letitico genere deriuati, quorum alij ſacerdotes fuerunt, alij qui à parente vocati ſunt Leuitæ, quorum varij describuntur ordinē, varia ministeria, ac tandem, quæ ex omnibus tribubus ad Leuitarum habitationem, & uſum deſignatae fuerint ciuitates. Quæ attributa euerunt à Iosue, & cap. ipsius 21. eodem propemodum ordinē deſcriptæ.

CAPVT SEPTIMVM.

Hoc caput præter generationes Iſachar, Beniamin, Nephthali, Manasse, Ephraim, & Aſſer nihil ferme coninēt aliud, in quo noſtra poſſit laborare commentatio,

CAPVT OCTAVVM.

In hoc capite explicatiuſ ponit̄ à Beniamin deriuata progenies. De Saulis genere v. 33. de quo etiam lib.1. Reg. cap.9. vers.27. quidam dicuntur Patriarchæ, & cognitionum principes; qui autem illi euerint, diximus lib. 2. Reg. cap. 5. num.4.

CAPVT NONVM.

A Hoc caput illas connumerat familias, ex quibus 18. egressi, qui varia in templo obirent ministeria; quæ hīc omnia referre longi eſſet atque parum necessarij laboris. Illud non omittendum, ad hoc uſque caput deſcripta fuſſe illorum nomina, qui antecesserunt captiuitatem Babylonis, aut qui captiui Babylonem abducti ſunt. In hoc verò capite illorum eſſe deſcripta nomina, qui captiuitate ſoluta in ſuas rurſus ſedes remigrarunt. Quæ communis eſt interpretum ſententia, & ipsa litera docere videtur non obſcurè. Adde quod multi ex his qui hoc loco commemorantur, illi iidem lib. 2. Esdræ c. 11. dicuntur ex Babylonica captiuitate in patriam rediſſe, iidem ſacerdotes dicuntur reuertiſſi hoc c. v. 10. & lib. 2. Esdræ c. 11. v. 10. iidem Leuitæ hīc v. 14. & illuc v. 15.

Nathinæi, de quibus v.2. iuxta ſui nominis notationem, vt obſeruauit Hieronymus in tradit. Hebraic. ad hunc locum ſunt ſerui donati, aut alligati templo, qui ad varia illius ministeria ſeruilem operam exhibent. Hi verò tam à Hieronymo ſuprà quā ab aliis ferme omnibus Gabaonitæ fuſſe dicuntur: qui aquam, & ligna ad ſacros uſus in templum comportant, iuxta illud Iosue c.9. v.23. ad Gabaonitas: Non deficiet de stirpe uera ligna ca- dens, aquaſque comportans in domum Dei mei.

Vers. 25. Fratres autem eorum in viciis morabantur, & veniebant in ſabbatis ſuis de tempore uſque ad tempus.] Hæc à nobis explicata ſunt lib.4. Reg. c. 11. num.7.

C

CAPVT DECIMVM.

Totum hoc caput explicatum eſt lib.1. Reg. cap.31.

CAPVT VNDECIMVM.

Hujus capitio explicationem ad uerſum uſque decimum, habes lib.2. Reg. c.11. à uerſu 10. ad finem lib.2. Reg. c.23.

CAPVT DVODECIMVM.

Totum hoc caput apertum eſt. Tantum enim 20. continet quot ex qualibet tribu conuenient ad Dauidem, quo tempore morabatur in Siceleg, quā ab Achis Rege Palæstinorum acceperat ad v.23. Deinde, quot etiam ex qualibet tribu, dum, extinto Saule, federet in Hebron, vt conſet quā haberet ſub id temporis instructum exercitum. De his autem ideo videtur inductus ſermo, quia virorum fortium proximè facta mentio: hi verò in eodem numerantur ordinē, quia à roboře ipſi quoque commendantur, licet ad illos, de quibus præcedenti capite, non peruenient. Cætera obſcura non ſunt. Illud autem v.32. de Iſachar non omnino facile. De filiis quoque Iſachar viri eruditæ, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſrael. Quæ ſit ea rerum peritia in filiis Iſachar, non eſt intelligere, aut coniectare promptū.

E Hebræi, vt refert Hieronymus in tradit. Hebr. ad hunc locum, eruditos vocat, quia norant ſingula tempora. Erant enim doctores, computatores, & magiftri, ſive ad festiuitates, ſive ad cetera. Hanc cogitationem meritò confutat Abulēſis q.26. cum enim filii Iſachar agris colendis rusticam operam, potius quā ingenuam honestis disciplinis impenderent, non videbantur futuri magis legum, religionisque periti, quā qui ad alias familiias pertinebant. Sanè nō ſatis in illos religionis legūmque cogni

Fili⁹ Iſachar quibus disciplinis exculti.

cognitio conuenit, qui inter terminos accubant, aut inter medios cleros, & sicut asinus fortis, humeros suos supposuerant oneri. Deinde quia, ut maximam istarum rerum cognitionem habuerint, tamen denunciare solemnitates, & festa, sacerdotalis est, non rustici negoti.

Rusticorum scientia rebus bellicis utilis.

^{21.} Alij putant habuisse scientiam illam, quæ ex varijs syderum aspectu varias diuinat temporum mutationes: quæ scientia his, qui militare amplexi sunt institutum, non exigua afferit commoditates & usus; quam qui assiduus fuerit, significare poterit, quid fieri, & quando debeat, quod rei communis futurum sit ex ysu. Scimus enim propter varias temporum tempestates magnas interdum in re bellica fieri rerum inclinationes. Hæc mihi cogitatio omnium maximè placet. Si scientiam illam Syderum non illam esse statuas, quam docuere Chaldaei, seu Ægyptij (quamquam huius etiam cognitionem habuisse putem ex illa tribu nō paucos) sed rusticam ex longa temporum obseruatione comparatam. Quam habent qui ruri plerunque degunt, siue qui colendis agris, aut pascendis pecoribus inuigilant. quorum maximè interest obseruare temporum mutationes, ne inanis sit opera, aut in re rustica, aut in studio pecuario locata. Sanè Virgilii id maximè agricolis commendatum esse vult Georg. i. vbi præcepta tradit, seu verius signa quedam prognostica tempestatum, quas obseruare debet agricultor. Hæc rusticorum Astrologia, aut tempestatum prognostica cognitioni mihi certior est, quam illa quam docuerunt politiores Astronomi. Noui ego homines qui in agris diu, locisque silvestribus egerunt, qui neque prima puerilis disciplinae elementa libauerant, qui tamē ex signis aëli, aut volucrum, aut eorum animalium, quorum ipsi curam suscepereunt, sic futuras temporum mutationes præsentiebant, vt errarent numquam, aut admodum raro. Ex horum numero videntur fuisse filii Issachar, qui cum ruri plerunque agerent, id sunt assidua temporum obseruatione consecuti, quod aliæ tribus magis urbanæ consecutæ non sunt. Quod autem Issachariæ in agris suum sibi opus habuerint, in illisque versati fuerint assiduè, vel dum illis rusticam dant operam, aut pascendo pecori pastoritiam, satis indicat illud Gen. c. 49. v. 14. de Issachar. *Issachar asinus fortis accubans inter terminos, &c.* Vbi in eandem, opinor, sententiam transtulerunt Septuaginta *Issachar bonum desiderauit requiescens inter medios cleros;* & videns requiem quia bona est, & terram quia pinguis, supposuit humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. Quod vero greges pauerit, docet illud Iud. c. 5. v. 16. vbi de Issachar cecinit Debora. *Quare habitas inter duos terminos, ut audias filios gregum.*

Rustici temporum mutationum gnari.

Fili Issachar pastores, & rusticæ.

CAPVT XIII.

Hoc caput expositum est lib. 2. Reg. c. 6. neque aliquid aliud subit, quod addamus.

CAPVT XIV.

Hoc caput expositum est lib. 2. Reg. à verso 11.

CAPVT XV.

In hoc capite vix occurrit aliquid quod interpretis operam requirat: tantum enim continet, quid David ad religiosam, & magnificam pompam comparauerit, qua fœderis arcum in destinatum

A locum traduceret, quem ad illum usum in sua ciuitate construxerat.

Vers. 12. *Vos qui estis principes familiarum Leniticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei preparatus est, me, ut à principio, quia non eratis presentes, percussit nos Dominus.*] Ex hoc loco nobis non obscura proponitur causa, cur Oza ad attactum arcæ subita fuerit morte correptus, quia videlicet sanctificatus non fuerat, cum aliquam contraxisset maculam, à qua ad religiosum illud opus purificari debuit. Porro de Oza satis à nobis multa lib. 2. Reg. cap. 6. vbi num. 23. hunc locum exposuimus.

B Vers. 25. *Igitur David & omnes maiores natu Israel.*] Quicquid est ab hoc loco, ad finem usque capitis, explicuimus lib. 2. Reg. cap. 6. à verso 12.

CAPVT XVI.

Principium huius capitinis expositum est lib. 2. 23. Reg. cap. 6. à vers. 17. id quod sequitur à vers. 4. ad versum 8. nihil nobis obiicit impeditum.

Vers. 8. Hic duo constituuntur Psalmi, qui in libris Reg. intermissi sunt, qui aut soli in ea sacra traductione cantati, aut certè à cantoribus iterati frequentius. Qui cum neque à nobis tractati supra fuerint, neque sua quoque difficultate careant, accuratius hoc loco expnendi sunt.

In Psalmum 104. Commentarij.

Hic Psalmus eo primùm consilio aut occasione 24. compositus videtur à Davide, ut in solemnis hoc, & religioso progressu caneretur, in quo singulare existimatur acceptum beneficium, cum arca certum sibi ac stabile domicilium elegerit in regia ciuitate. Cur autem eò inclinet assensio, facit, quia aliqua hoc loco etiam in Hebraico textu lego, quæ aliter sunt, quam in Psalmo 104, qui ex hoc loco sine dubio sumptus est, ut ex omnibus interpretibus dubitat nemo. Ut autem lib. Reg. 2. c. 22. putabamus Psalmum, quem ibi legimus, prius fuisse à Davide compositum, ut gratias ageret Deo, eo quod Dei benigna prouidentia toties esset ab hostibus ereptus, deinde vero limatum fuisse magis, quando fæderibus, atque cantoribus traditus est, ut saepius cantaretur in templo (quod nobis ideo persuadebamus, quia in Psalmo 17. qui est omnino idem, multa verba videbamus esse mutata, in textu etiam Hebraico, quod ad maiorem numerorum suavitatem fecisse Psalmum egregiam suspicabamur) Sic dictatum à Spiritu sancto Psalmū hunc, qui in Psalterio centesimus quartus numeratur, existimamus tunc fuisse compositum, quando arca ex domo Obedon translata fuit in ciuitatem David. Deinde vero limatum magis ab eodem, & in templo relictum, ut saepius ibidem in gratiarum actione resonaret. Quod item factum existimamus in Psalmo, qui huic statim annexatur, in quo multa videmus fuisse mutata, addita multa, detracta alia, quæ tamen aliter legimus in Psalmo, qui in Psalterio quinagesimus quintus numeratur. Hæc primùm de veteroque Psalmo; nunc de priori seorsum.

De titulo Psalmi 104.

Halleluja.] Hic titulus communis est multis 25. Psal-

Halleluia
apud He-
breos est in-
tercessio la-
tans.

Halleluia
sur à se-
pruagesima
cesset.

Psalmus
104 ingra-
tiarū actio-
ne cantari
solitus.

Psalmis, qui ideo à quibusdam Halleluiatici dicuntur. Cum autem Halleluia oratio sit integra, tamen intercessionis apud Hebreos locum obtinet, quæ latitiam significat, ex felici aliquo successu ortam. Quod ex eo natum puto, quia prima exultantis animi vox est gratiarum actio, & diuina laus, quæ a Deo profectum beneficium agnoscit. *Halleluia* idem valet, atque laudate Deum. Sed vox ista Hebraica apud Hebreos præter significationem propriam iubilum indicat, triumphum & quid simile, quod non semper facit illius interpretatione Latina. Ex eo fit, ut cum idem sit *Halleluia*, & *laus tibi Domine*, à Septuagesima tamen ad Pascha in Ecclesia non audiatur *Halleluia*, sed eius loco, *Lauda tibi Domine*, &c. Quia ex tempore, in quo Christi recolitur passio, ita pro tanto beneficio gratias agimus, ut tamen dolentis potius quam exultantis animi documenta praebamus.

26. Vers. 8. *Confitemini Domino*, & *inuocate nomen eius*, *notam facite in populis adiuuentiones eius*.] Hunc Psalmum in summa latitia atque gratulatione, seu actione gratiarum solere sèpè, & quasi legitime cantari docet illud Isai. cap. 12 v. 4. Vbi idem esse docet dicere exultandum esse, & Deo agendas esse gratias, atque cantandum Psalmum, quem nunc præ manibus habemus. *Et dicetis in die illa*, inquit, id est, cum beneficia illa ingentia, de quibus ibi Propheta loquitur, acceperitis, *Confitemini Domino*, & *inuocate nomen eius*, *notas facie in populis adiuuentiones eius*. Quemadmodum cum nos latum aliquod accipimus nuncium, cantandum esse dicimus, *Te Deum laudamus*, &c. Inuocare nomen alicuius, est illum, cuius inuocatur, aut imploratur nomen, superiorem, & dominum agnoscere. Hoc planè ostendit Isai. cap. 63. *Facti su- mus sicut in principio*, cum non dominareris nostri, neque inuocatum esset nomen tuum super nos.

27. Vers. 9. *Cantate ei*, & *psallite ei*, & *narrate omnia mirabilia eius*.] Cantamus voce, psallimus adhibito ad vocem instrumento musicali. Vtrumque noster Psaltes ad prædicanda diuina beneficia requirit. Neque tantum id cantando, vel psallendo celebrari vult, sed etiam priuatis, publicisque sermonibus, ita ut nihil audiat non in templo solum, atque vrbe, sed etiam in tota regione Israëli tide, atque adeò in orbe toto, nisi quæ à Deo prodigia, & admiranda facinora gesta sunt.

28. Vers. 10. *Laudate nomen sanctum eius*: *laetetur cor quarentium Dominum*.] Hebr. בָּרוּךְ הַלְלֵלָה hitallelu. Septuaginta, ut in vulgato Psalterio legimus, translitere *laudamini*: Hieronymus tam hic, quam in Psalterio in actua voce. Orta est hæc in ea translatione diuersitas, ex coningatione Hithpael, quæ actionem significat reciprocum: & proprie valet, *laudate vos*, quod idem ferme est, quod *laudamini*. Ex duabus hisce translationibus hunc ego sensum compositum elicio, & puto illum in Hebraica dicendi forma contineri. *Laudate nomen sanctum eius* (id est, Deum, iuxta Hebreorum idioma, qui nomen alicuius sumunt pro eo, cuius est nomen) & *vos fortunatos existimate*, & *vestrum omnino probate*, *laudateque consilium*, quod ex omnibus dies, hunc, qui solus est Deus, elegisti. Huc facit quod statim subiicitur, *Laetetur cor quarentium Dominum*, quia nimis illis nunquam deerit satis ampla laudandi, atque exultandi materia.

29. Vers. 11. *Querite Dominum*, & *virtutem eius*: *qua- rite faciem eius semper*.] In vulgato Psalterio, *Querite Dominum* & *confirmamini*: vox Hebr. οὐ γένεται, at utramque significationem patet variis notata

A punctis. Potest enim verbum esse in passiva voce, & nomen; duæ tamen istæ translationes veram nobis, & plenam ostendunt. Ita enim querimus, laudamusque Domini virtutem & robur, ut ab illo nobis virtutem & robur speremus. Illud enim valet, & *confirmamini*, vbi vulgato Scripturæ more Imperatiuus pro futuro ponitur. Ideo porrò proximè iussi fuerant latari, qui Dominum querunt, & Dominum querere iubentur, quia illis inde adueniet ad quidlibet audiendum perficendumque robur, & virtus. Porro *faciem alicuius summi* pro eo cuius est facies, satis est in Scriptura frequens, quare eadem per epexegesim sententia repetitur, cum dicitur, *querite Dominum*, & *querite faciem Domini*.

B Vers. 12. *Recordamini mirabilium eius quæ fecit*: 30. *signorum illius*, & *indicatorum oris eius*.] Adducit exempla, quibus probat, quid populus à Dei benignitate, atque virtute sperare debeat. Quid præterea promiserit, & quid præstiterit patribus, à quibus ingens illa Israëlitarum familia propagata est. Illorum igitur iubet renocari memoriam, ut illorum excitati commemoratione, qui tunc aderant, sese in diuinis laudes totos effundant. In *signis prodigia* intelligo, quibus Deus & po- Signa hæc tentiam suam, & suam in ornando, atque tuendo quid. populo benignitatem ostendit. *Oris iudicia* legem Otis iudi- cia quid. interpretor, quam Deus dedit populo, quod lane magnum à Deo beneficium fuit, & promissionem de terra Chanaanitide ab Israëlis posteris possi C denda, aut etiam de Christo, quem Abraham prius, deinde Isaac promisit Deus de ipsorum na scitum semine.

D Vers. 14. *Ipse Dominus Deus noster*, in vniuersa 31. terra *iudicia eius*.] Ille, qui dum nostram salutem, & possessionem tuerit, miracula edidit illustria, quicunque viuendi religiosè, ac sanctè modum præscripsit, ille est, ô Israël, Deus noster, cuius in vindicanda causa nostra, & ab inimicorum calumniis asserenda in vniuersa terra, in qua aut habitauimus diu, aut certè possumus aliquando vestigium, iudicia fecit, dum hostium nostrorum, aut fregit spiritus, aut debilitavit vires, & si quod nobis impedimentum opposuerunt, pœnas ab illis exigit acerbissimas.

E Vers. 15. *Recordamini in sempiternum pacti eius*: 32. sermonis, quem præcepit in mille generationes.] Sentiens eadem per epexegesim iterata. Quodnam sit hoc pactum sempiternum, aut sermo in mille generationes, statim ostendit v. 18. dicens, *Tibi dabo terram Chanaam* hereditatis vestre. Hoc verò pactum, seu præceptum, ut maior in generatione significetur promissi firmitas, sèpius iteratur v. 15. 16. & 17. Hoc pactum, aut promissa possessio futura dicitur æterna. Quod tamen intelligendum est dummodo populus fidem seruet, quam tueri debuit integrum, & sanctam. Quod verò Deus æternam regionis Chanaanitidis possessionem promiserit, constat Genes. cap. 13. v. 15. *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo*, & *semini tuo usque in sempiternum*. Idem promisit Isaac Gen. 26. v. 4. Item Iacob Deut. c. 34. 4. vbi v. 13. habemus, *semen Israël serui eius*. In Psalterio vulgato est, *semen Abraham*. In textu etiam Hebraico correxit nimirum idem auctor David, quando cantoribus Psalmum tradidit cantandum in posterum, quem ante ad traducendam arcam raptim ediderat.

Vers. 19. *Cum essent pauci numero*, parui & co- 33. loni eius.] Eo tempore Dominus Abraham, Isaac, & Iacob latissimam regionem, quam nationes septem incoluerant, promisit, quando illorum so- holes

boles sic erat exigua, vt viculus, quantumlibet A exiguis, pro illorum habitatione sufficeret. Sic autem Deus familiam illam à paruis ortam principiis amplificauit, vt extenderit propagines suas usque ad mare, & regionem, quam septem nationes occuparant, impleuerit. Quare hīc duo beneficia agnoscere potuit Israel, & quod tam amplificari gentem illam exilem antea, & numero exiguam; & quod comodos, & laxos ad habitandum terminos tribuerit.

34. Vers. 20. *Et transferunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.*] Sententia est eadem per epexegesim iterata. quod apud Hebreos poetis numeris familiare est. Apparet autem hīc alia, atque alia paternā sedulitatis argumēta; quia cū tot obierunt regna tam varia ingenii, studiis, diversa, tam parentes quibus facta est promissio, quā illorum posteri; sic tamen illos Deus paterna texit prouidentia, vt ab hostilibus siue armis, siue insidiis seruarit incolumes: & tandem ad promissam, paratāmque regionem induxerit. Hæc puto ad totum Israeliticum genus pertinere ad tempus usque Davidis. Sed puto posteriora hæc ad illos tantum spectare, quibus de Chanaanitide terra facta est promissio, & à quibus tanta filiorum sylua propagata est. Hi enim in variis regnis peregrinati sunt, & de uno ad alterum populum profecti. Qui à paterna Dei sedulitate talia acceperunt beneficia, qualia sequenti versu describuntur.

35. Vers. 21. *Non dimisit quemquam calumniari eos, C sed increpauit pro eis Reges.*] In Psalterio vulgato: *Non reliquit hominem nocere eis.* In textu etiam Hebraico aliiquid in illo Psalterio diuersum inuenio. Hic enim, ubi vulgatus quemquam, Hebr. est ψήν Lehisi. in Psalterio autem Σάρ Adam: hæc autem optimè in tres Patriarchas conuenire nemo nescit. Abraham variis temporibus varia lustrauit regna, & à variis periculis ereptus, & eius causa aut puniti, aut increpati Reges. Descendit Abraham in Ægyptum, Genes. 12. à cuius sinu cū Pharao Sarum vxorem abstulisset, percussit illum, & domum illius vniuersam Deus, donec vxorem Abraham redderet intactam. *Quod fecit secundò, cū hoc idem tentasset Rex Abimelech Gen. 20.*

Deus Patriarcharum protector, & index. Quemadmodum Isaac, quem durius acceperunt Palæstini, terrori fuerit alteri Abimelech Regi, habes Gen. 26. De Jacob constat multo magis, quæ defendit à Laban, quem Dominus increpuit, edixitque ne quicquam aduersus generum grauius loqueretur. Deinde defendit ab Esau fratre, qui illi magna stipante suorum multitudine obuius occurrit; & iterum à Sichinitis, quos filiorum exacerbarat grauiter inopinata crudelitas: ac tandem, ne quid peregrinus homo à Regibus, virisque potentibus, per quorum transibat fines, aliquid pateteret acerbius, Deus omnium animos pauore concussit. Gen. 35. v. 5. *Cūque profecti essent (nempe Jacob, & filii, atque domestici) terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persecuti recedentes.* Hæc itaque cū aliquo modo in totam Israelis domum conuenire potuerint, multo tamen magis in tres Patriarchas, de quibus proximè. Et quod statim subditur, aptè in tres hosce cadit, in alios non nisi admodum distortè.

36. Vers. 22. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.*] Tres isti Patriarchæ appellantur Christi, quia licet Reges non fuerint, Régum tamen videri poterant habuisse potentiam. Sanè Abraham eam habuit familiam, vt nullo as-

cito exteriorum auxilio contra quinque Reges pugnauerit, adeò feliciter, vt superarit illos, & abstam prædam ex illorum manibus extorserit. Tunc autem supplenda est, Hebreorum more, nota similitudinis. quasi dicas: nolite tangere illos qui mihi sunt tanquam Reges, aut quia ab illoru stirpe Reges nascituri sunt. Seu quia, qui magno apud principes loco sunt, & in amore, & obseruantiā primi, proverbiali specie Sacerdotes dicuntur, vt ostendimus lib. 2. Reg. c. 9. v. 18. tunc autem hic erit sensus, nolite tangere eos, qui apud me eo loco sunt, ac si sacerdotes essent. Hos porrò Prophetas esse satis constat. De Abraham dixit Deus ipse, cū Regem corripuit Abimelech Gen. 20. v. 7. *Nūc Quidam ex ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & ora- Patriarchis bit pro te, & viues. Si autem nolueris reddere, scito quod Prophe- Propheta.*

B morte morieris tu, & omnia qua tua sunt. Fuisse Isaac Prophetam, item & Iacob, satis indicant benedictiones, quibus quæ essent euentura filiis præixerunt. Malignari autem in Prophetis prohibentur Reges, id est, ne quid Prophetis mali faciant, vt liquet ex his, quæ modò diximus.

Hucusque prior Psalmus, quem Dauid edidit 37. pro arca ad arcem Sionis, seu ciuitatem regiam traducenda: neque existimo plus ex isto Psalmo aut fuisse, aut cecinisse cantores, & psaltas, aut cōposuisse Dauidem. Multo plura sunt in vulgato Psalterio, in quibus plurima Dei siue beneficia, siue miracula commemorantur, quæ post hunc articulū addita opinor à Dauide, quæ aliis temporibus, & rerum euentibus ex visu, ac votis populi canerentur in templo. Quo tempore Dauid quædam abstulit, dum editum Psalmum magis elimat, & illorum loco alia reposuit, quæ vel ad numerosos musicos, aut sententiarum pondus magis attenuata videbantur; vt constabit magis sequenti Psalmo, ubi mutata sunt, addita, aut sublata plura. Quæ manifeste docent Psalmum, qui in Paralipomenis est, & qui in Psalterio nonagesimo loco numeratur, diuersis temporibus fuisse compositos.

Psalmus posterior.

Hic Psalmus, qui etiam in religiosa pompa can- 38. Datus est, in Psalterio, vt diximus, reperitur, limatus tamen magis à regio Psalte: ex quo sublata non pauca, addita nonnulla, quæ suis locis obseruabimus. Dicunt autem Hebrei, vt refert Agellius ad Psalmum 104. priorem Psalmum matutino tempore in templo, posteriore vespertino à sacerdotibus solitum esse cantari. Vnde hoc sumpserit Agellius, non inuenio: neque quid Hebrei dicant, admodum curandum, quorum mira est in singendo licentia.

E Psalmi titulus est in Psalterio, *Quando domus edi- 39. ficabatur post captiuitatem.* Qui titulus in Hebreo non est præfixus, existimatur ab Esdra, vt eo titulo cantatoribus ediceret quid in templo siue adificando, siue dedicando canere debuerint. Quod ita factum ipse docet Esdras lib. 1. cap. 3. vers. 10. *Fundato a clementariis templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Lenite filii Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Israel, & concinebant in hymnis & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in faculum misericordia eius.* quæ verba sunt in fine Psalmi in lib. Par. Idem Psalmus iteratus est rursus à cantoribus, cū arca ē ciuitate Dauid ad templum est transmissa, lib. 2. Paralip. cap. 5. v. 73. & iterum cap. 20. vers. 21. Hunc porrò versum primum existi- mo

mo à Davide compositum, & deinde ad Psalmum 117. translatum, qui celebre ab hoc versu dicit exordium.

40. In toto hoc Psalmo id agit Propheta, ut omnes gentes ad diuinæ laudes celebrandas inuitet, quas laudes cum rebus omnibus etiam inanimatis cūpit esse communes. Atque ideo cœlum, & terram, matja, sylvas, & agros, & quicquid est in natura rerum, ad laudandum ipsorum conditorem Deum hortatur, & prouocat. In toto Psalmo nihil ferme est, quod interpretis operam requirat. Illud tamen si quid fuerit, illustrate tentabimus.

41. Vers. 25. *Horribilis super omnes Deos.*] *Horribile duo significat, quod nempe horrorem hominibus, & panorem incutit, & quod stuporem afferit, admirationem, & obseruantiam.* Vnde Deus formidabilis dicitur, admirabilis, & venerandus, quæ duo sæpe Psalmista coiungit. Id nos multis ostendimus in nostris commentariis super Acta ad illud c. 8. *Et dabo prodigia in cœlo sursum.* Horrorem pro religione ac veneratione etiam sumunt profani. Ita Seruius ad illud Virg. lib. 1. Aeneid.

Horrentique atrum nemus imminet umbra.

Lucæ c. 1. nato Ioanne factus est timor super omnes vicinos, id est, admiratio. Clarius Matth. c. 9. vbi sanato paralytico videntes turbæ timuerunt, Græcè est θαυματαν, id est, admirata sunt.

42. Vers. 26. *Omnès enim dij popolorum idola.*] Rationem reddit, cur Deus super omnes illos, qui à delusa gentilitate existimatur dij, horribilis sit atq; laudabilis; quia ille cœlos fecit, & quæ cœlorū complexu continentur; & quia talia secū habet, de quibus statim, quæ illū excelsum, laudabilem, & admirabilem prædicant. At Gentium dij nihil sunt aliud, quām umbra quedam futilis, ænea, siue marmorea, certè muta, & quæ nullam habent sentendi facultatem, simulacra, quæ non sunt timenda, aut veneranda magis quām ligna, aut saxa, vnde illa scalpro aut runcina efformarunt artifices. *Pro idolis* Hebr. διλιλις Etilim, quæ aliquid valet vanum, & omnino nihil. Quod indicauit Paulus, cū dixit, ad hunc respectans locum, 1. Cor. c. 8. idolum nihil esse. Septuaginta *demonium* conuerterunt, alij aliter; sed omnes aliquid indicant vacuum à mente, & sensu.

43. Vers. 27. *Confessio & magnificientia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius.*] Paulo aliter in Psalterio: *Confessio & pulcritudo in conspectu eius: Sanctimonia, & magnificantia in sanctificatione eius.* Multi multa hīc cogitant: Ego breuiter existimo hīc agi de ornatu, & gloria, quæ Deo aut exhibetur, aut exhiberi debet in tabernaculo, ad quod modò traducitur arca, & in templo postea, quando à Salomone traducetur. Et hoc indicat illud, *coram eo, & in loco eius, & in sanctificatione eius.* In templo autem laudes resonant Dei, in quibus est *magnificantia*, id est, magnorum operum prædicatio; aut oratio, quæ Deum magnificat, id est, esse magnum ostendit. *Fortitudo, & gaudium*, id est, canticum, in quo diuinæ virtutis prædicantur opera, & gaudēdi, atque triumphandi, hominibus materiam dedit; aut quia de hostibus, auspice Deo, obtinuere victoriā, quæ gaudium parit, aut quia de victoriis auctori Deo aut nobis ipsis gratulamur. De quo argumento varij scribuntur Psalmi. Hæc omnia sèpius iterata sunt à regio Psalte, vt constabit lectori mediocriter attento. Quæ omnia complexi sunt cantores illi cœlites, qui in conspectu throni cecinerunt Apoc. c. 7. v. 12. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum.*

A Vers. 28. *Afferte Domino familiæ popolorum: afferte Domino gloriam, & imperium.*] Offeruntur Deo non solum veræ & propriæ, sed etiam metaphoricæ victimæ, quales sunt animi affectus, & desideria, quæ in Scriptura sæpe cordis significantur vocabulo; & laudes, quæ Osee c. 14. v. 3. dicuntur *laborum vituli. Reddamus vitulos laborum nostrorum.* & Ps. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Ad Deum igitur monet hic locus omnes familias populorum, seu, vt in Psalterio legimus, patrias Gentium, ut afferant non ingrata aut indecora sacrificia; hymnos videlicet, qui illum glriosum prædicant & Imperatorem, quem omnes timere, atque obseruare debeant. Hoc porrò latius amplificat, & eleganti quadam prosopœia persequitur, dum ad hanc laudem omnes inuitat creaturas, non solum, quæ rationis sunt, sed etiā quæ sensus, & vitali facultatū expertes, ad v. 33. In quibus nihil est quod interpretis operam desideret, cū tantum admonentur, quæ ad diuinæ laudes excitantur, ut qua ratione iuxta naturæ suæ vim & modum possunt, ad hoc opus religiosum, & pium, & multis nominibus debitum incubant. Moueatur terra coram Domino, sicut olim ad ingressum in terram promissionis, Num. c. 21. de quo motu Psal. 113. Neque illi deest causa, cur exultare, & commoueri debeat, & cū à Deo quod aliis elementis negatum est, firmitatem acceperit, & celi ipsi dum scintillantibus distincti syderibus suis orbes rata cōuersione conficiunt, exultent, & Deum vniuersorum esse Regem, quo possunt sermone fateantur. Id ipsum faciat mare, tumenti atque sonanti fluctu, & agri, quæque in ipsis aut nascuntur, aut vagantur: & quæ in sylvis ligna fraticelsque proueniunt, & lætitiae, & laudis eam sibi materiam assumat: quia Dominus venit iudicare terram, iudicare autem non solum est ius dicere, aut disceptare causam, sed etiam pauperes, pupillósque defendere; causam suscipere communem, & regio more rempublicam constituere, atque ita moderari, vt neque violentus, aut tyranus res rapiat, aut conturbet alienas, aut pauper potentiorum prædæ, atque calumniæ pateat. Hoc autem eorum opus est, qui ante Regum tempora Iudices vocabantur, quorū ius erat si non omuino regium, at certè regio proximum. Iudicare igitur idem est quod regere: sicut iudex olim idem erat penè, quod Davidis tempore Rex. Quia ergo Dominus indicauit terram, & illam, quasi viator, triumphatorque constituit, monet Propheta creaturas omnes, vt triumphanti occurrant, epinicum cantent, & ad tantam principis gloriam, quicquid habent speciosum, ostentent. Ager proferat herbarum, florūque varietatem, colorum signa maiori quoddam splendore colluceant, exultent in mari pisces, in aere volucres ludant, cum triumphante Deo ipsa quoque rerum natura exultet, & triumphet. Hic sensus constabit magis ex v. 35. de quo mox.

E Vers. 34. *Confuemini Domino, quoniam bonus, quo- 46. niā in eternum misericordia eius.*] Hic versus inuenitur etiam in Ps. 117. Sed puto primum à Davide ad hunc rerum articulum fuisse compositum, & deinde ad alia loca fuisse translatum. Quem sæpe in templo personuisse probant illa loca suprà citata. & hoc ipso capite v. 41. hic versus certis quibusdam locis putatur esse legitimus, vbi dicuntur electi Heman, & Idithum, & alij, ad confitendum Domino, quoniam in eternum misericordia eius. Porro tam hic versus, quām alij, qui sequuntur, omisi sunt in Psalterio, ideo fortasse, quia non tam alibi comodi, quā in presenti rerū articulo cœtari poterat.

Vers. 35.

47. Vers. 35. Et dicite: Salua nos Deus, saluator noster.]

A dum, explicuimus lib. 2. Reg. c. 6. v. 19.

*Salua nos
& similia,
vox in triū-
phū uisitata.*

Ex hoc versu colligere mihi videor non difficile inuitari suprà creaturas omnes, vt triumphanti Christo gratulantes, & lata obuiam occurrant, cantantes illum Hebræorum Pæana, seu epiniciū, quo à gratulanti turba excipi solent triumphares. Est autem vox hæc familiaris in triumpho, *salua nos*. Hoc sanè modo exceperunt Iudæi triumphatem Christum in palmarum festo, iterantes uisitatum illud, *O sanna*, quæ vox aut triumphantes prosequitur cum festivo plausu: aut his, quibus bene cupimus, aliquid precatur, cum aliquid aut ordiūtur, aut aggreduntur eximiū: Ut cùm quis dignitatē obtinet similem, seu proximā regiē. Hanc vocē de se audiisse Reges puto, cùm primum inauguantur, qui ipsis salutem, & vitam optant, quales audierunt à plaudente turba Adonias lib. 3. Reg. c. 1. v. 25. & Salomon ibidem v. 34. & Ioram lib. 4. Reg. c. 11. v. 13. quibus cùm fausta precaretur populus, clamauit, *vivat Rex*. Nisi mauis optare populum, & precari ab illo, quem Regem agnoscit, vt saluti publicæ, ac subditorum vitæ prouideat, quod Regum proprium est; qua voce illum esse Regem, legitima salutatione profitetur. In hunc sensum accipio hoc loco, illud, *salua nos*, quæ vox est psalmistæ, & populi, qui ab effectu Dominum Regem appellat. Quod probat, quod antecessit proximè v. 31. Dicite in nationibus: Dominus regnauit, id quod populus cecinit, cùm Absalomem clamauit Regem, iuxta ipsius Absalomis imperium lib. 2. Reg. c. 15. v. 10. Statis ut audieritis clangorem buccinae, dicite: Regnauit Absalom.

48. Et congrega nos, & erue de Gentibus, vt confiteamur nomini sancto tuo.] Præuidebat spiritu instinctus propheticus David, futurum aliquando, vt multi de Israelitico semine à patriis finibus abducti inter Gentesagerent captiui, vbi interesse non possent Hebræorum sacris, & diuinum nomen cantoris celebrare solemnibus, quale hoc est, in quo nostra laborat commentatio. Orat igitur Deum, quæ suum sibi fatetur Salvatorē, & Regem, vt dispersos congreget, & exolutos à seruili iugo patriæ, tabernaculoque restituat: vt & diuino nomini debitos impendant honores, & ipsi ex canticorum suauitate, & religioso cultu aliquid capiant honestæ voluptatis.

Vers. 36. Et dicat omnis populus: Amen, & hym-

num Domino.] Cantabunt siue Leuitæ & sacerdotes in tabernaculo, & templo, siue in aliis locis alij, neque enim ullus est locus, in quo nō possint, aut debeant diuinæ laudes resonare; aut ullus homo, qui à diuinæ bonitatis præconis excludatur. Cùm ergo alij, quicumque illi fuerint, Deo benedixerint, usurparintque commune illud, & suauissimum Canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel ab eterno usque ad eternum*. Respondebit populus, *Amen*, quasi petitionem illam, & votum approbas, & orans, vt ratæ sint preces. Et insuper ipse quoque suum hymnum addet, & laudabit Dominum, quo tempore ac loco fas illi sit: erit autem quodcumque tempus idoneum, & quicunque locus, dummodo extra templum, vbi tantum ab ore Leuitico diuinæ resonant laudes.

Vers. 37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Asaph.] Hic nihil inuenio, in quo desiderari possit interpretis opera. Tantum enim habemus prouisum esse à Davide diligenter, ne vim quam decesse possent, qui in templo sacra obirent ministeria. In fine autem capitilis David suæ domui benedixisse dicitur. Quomodo verò id sit intelligendum.

Gasp. Sanctij Com. in lib. Paralip.

B

Hoc caput expositum est nobis lib. 2. Reg. c. 7. & si quid aliud supereft, eiusmodi est, vt nostra opera non videatur necessaria.

CAPVT XVIII.

Hoc quoque expositum est lib. 2. Reg. c. 8. neque aliquid occurrit, quod addamus.

CAPVT XIX.

Hoc caput explicatum est lib. 2. Reg. c. 10.

CAPVT XX.

Huius expositionem habes lib. 2. Reg. c. 141. à versu 29.

CAPVT XXI.

Hoc caput expositum est lib. 2. Reg. c. 24.

CAPVT XXII.

Ex hoc loco ad finem usque capitis nihil est in libris Regum, quare illorum commentatio nulli nobis usui esse potest. Sed neque in his capitibus, quæ supersunt, quicquam video, quod lucem requirat ab interprete. In cap. 22. primum David ad ædificandam domum, quam in mundo toto celeberrimam esse voluit, omnem materiam comparavit, & ad molitionem illam necessarios sumptus, qui non poterant esse non ingentes. Quod negotium quæ maximè potuit commendauit Salomonis filio. Quem unum ex omnibus Deus ad suæ domus fabricam elegit. Cui præterea, & bonam mentem, & prudentiam optat, & diuinæ legis obseruantiam commendat. Ad hoc etiam ipsum principes aduocat, & ut ad sacrarium illud, quod filio fabricandum indixerat, operam quoque suam conferant, hortatur.

D

CAPVT XXIII.

Quinque capita, quæ proximè succedunt, nihil continent aliud, quam illorum ordinem, & numerum, qui variis templi ministeriis destinati sunt. Vbi Leistarum, & sacerdotum constituantur munera, & quibus temporibus, & serie illa sineulla confusione administrare debeant. Neque huic capiti quicquam occurrit, quod ab interprete illustrari debeat.

E

Hoc quædam quasi appendix est superioris capitis. Proponitur enim eorū summa, qui ex Aaronis semine propagati sunt; & quo quælibet familia ordine, ac modo in tabernaculo, ac templo sacram debeat obire ministerium.

CAPVT XXV.

In hoc capite nihil est obscurum, tantum enim designantur familiæ, numerus, & ordo cantorum, quorum in templo ministerium frequens.

BBB b

CAPVT

CAPVT XXVI.

¶ Hic ex Leuitarum familia numerantur, qui ianitorum, aut sacri thesauri custodum munere funguntur. Ex quibus, ut constat ex v. 29. electi sunt quamplorimi, qui filios Israel, per quorum funiculos omnes erant disseminati, iudicarent ac docearent. *Isaaris hi erant ex genere Leuitico preebat Chonenias, & filij eius ad opera forinsecus super Israel, ad docendum, & iudicandum eos.* Et clarius supra c. 23, v. 4. vbi ex genere Leuitico electa dicuntur sex iudicium, ac præpositorum millia.

CAPVT XXVII.

¶ Hic varia variis ascripta ministeria nominantur. Primum qui, & quo ordine in domo regia excubias agerent, & regium corpus custodirent. Deinde qui fiscum, qui rem rusticam, & qui rem curarent pecuariam. Quæ quia obscura non sunt, ab illorum commentatione supersedeo. Illud non omittendum, numerum, qui ex singulis tribubus relatus est in priori capituli parte eorum, qui regia curabant opera, collectū videri ex ea capitū summa, quā collegit Ioab, quando iussus est numerare populum. Atque ideo videtur nullus relatus in cēsum, qui viginti saltem annos non impleuisse. De his enim dicitur v. 23. *Noluit autem David numerare eos à viginti annis inferius, quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel, quasi stellas celi, Ioab filius Sarue caperat numerare, nec complevit; quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis David.* Hæc postrema explicata sunt lib. 2. Reg. c. 24.

CAPVT XXVIII.

¶ Hoc caput difficile non est, continet orationē quam iam morti proximus David habuit ad populi principes, quos ad hoc ipsum ex omnibus Israelis finibus asquierat. Quibus dicit venisse sibi prius in mentem, ut templum ædificaret Domino, & in eū

A fine præparata esse omnia, quæ ad tam præclarum opus videbantur necessaria; verum, quia cū multum sanguinis effudisset, cū nullum penè tēpus à bellicis curis vacuum habuisset, prohibitum se fuisse ne manus tanto admoueret operi delibatas sanguine, sed ex omnibus filiis, vni Salomoni curam illam mandaret. Cui etiam stabile, & proprium futurum esse Regnum promisit, nisi ille à præceptorum suorum obseruantia deficeret. Quod in eo temporis articulo, & extremo vitæ suæ commendat senioribus, populique principibus, si retinere velint terram illam vberem, & lätam, cuius à Deo possessionem acceperant, quod præcipue cōmendat Salomoni filio; deinde iubet, ut constanter & seriò in templi Domini molitionem incumbat, cui tradit exemplar, & formam, quam accepit à Deo, in quam intuens opus perficiat ad Domini præscriptum, neque de sumptibus, quos ingentes futuros esse oportet, sit sollicitus. Se enim comparasse omnia, quæ moles illa tanta ad perfectam sui consummationem exigebat.

CAPVT XXIX.

Hoc etiam caput nihil habet impeditum, iterat 56. David ad cœtum filiorum Israel quæ proximè Salomoni dixerat, quod nempe ipse pro constituendo templo tanta sedulitate parauerat, monet tamen ut pro sua quicunque facultate ad piū illud opus aliquid conferat, quod promiserunt principes illi, præstiterūntque lubentes. Post autem David benedixit Deo, illiusque potentiam, & benignitatem mirificis extulit præconiis, cui latus offert quicquid ad eius gloriam tanto studio congesserat. Orat denique ut talem in populo voluntatem conferuet, qualem tunc habuit, cū quicquid habuit optimum, Dei venerationi, ac gloriæ seruire voluit. Ad extrellum cū luculentum immolasset sacrificium, vnxit secundò in Regem Salomonem cum ingenti totius populi lætitia, de cuius auctoritate, & gratia apud omnes, & de Davidis regno, & morte ad extrellum agitur. Hæc capituli periecha, & libri primi Paralipomenon finis.

IN LIB. II. PARALIPOMENON.

CAPVT I.

¶ *Oe expositum lib. 3. Reg. c. 3. usque ad v. 13. & quod reliquum est ad finem usque capitulo ibidem c. 10. v. 26.*

CAPVT II.

Expositionem huius habes lib. 3. Reg. c. 5.

CAPVT III.

Hoc à nobis explicatum est lib. 3. Reg. cap. 6.

CAPVT IV.

Totum hoc caput explicuimus lib. 3. Reg. cap. 7.

CAPVT V.

D Hoc caput expositum est lib. 3. Reg. c. 8. à versu 12.

CAPVT VI.

Hoc caput explicuimus lib. 3. Reg. c. 8. à versu 12.

CAPVT VII.

Prima pars de fumo, & nebula explicata est lib. 3. Reg. c. 8. à v. 10.

V. 5. usque ad v. 11. exposuimus c. 8. v. 64. usque ad finem.

V. 11. Usque ad finem habes lib. 3. Reg. c. 9. ad finem usque.

CAPVT VIII.

Hoc caput expositum est lib. 3. Reg. c. 9. à versu 10.

CAPVT

CAPVT IX.

De hoc lib. 3. Regum c. 10.

CAPVT X.

Explicatum est lib. 9. Reg. c. 12.

CAPVT XI.

De hoc lib. 3. Reg. c. 12. à versu 21.

V. 13. Hæc expolita sunt lib. 3. Reg. c. 12. & 31. &
in fine capituli n. 29.

CAPVT XII.

Hoc caput expositum est lib. 3. Reg. cap. 14. à
v. 21.

CAPVT XIII.

A 1. In hoc capite agitur de Abia filio Roboam, de
Abias abla- quo paucalib. 3. Reg. c. 15. hic verò plura sunt, de
zum à parē- quibus aliquid nobis agendum necessariò , licet
re regnum breuiter, quia eiusmodi sunt, vt longam explica-
repetit. tionem non requirant. Cùm regnum Roboami pa-
 rentis nouis quotidie accessionibus confirmatum
 videret Abias, & in suis castris viros esse fortissi-
 mos, statuit omnino repetendum, quod à parente,
 generéque Dauidico sublatum fuerat. Quare ex
 edito loco, vnde audiri posset, orationem habuit
 ad Israélitas illos, qui Ieroboami partibus adhæ-
 serant, qua illos ad antiquam religionem, & fidem
 reuocare studebat. Orationis autem capita hæc
 sunt. Primum Israéliticū regnum à Deo datū esse
 Dauidi in pactū salis, hoc est, vt statim dicemus, in
 pactū sempiternum. Secundum, licet parenti
 Roboamo propter mentis stuporem, & pauidum
 animum, non fuerit satis consilij ad deliberādum,
 neque ad bellicum ardorem satis spiritus, at sibi
 neque deesse ad deliberandum consilium, neque
 ad dimicandum robur, & audaciam, id videtur pla-
 nè sibi hoc loco voluisse Abias. Tertium, quia cau-
 sa est honestior; cùm ipsi neque legitimos habeant
 sacerdotes, neque Deum colant verum, cui sacrificia
 tantum in Solymitano templo immolari fas
 est. Quare cùm sacerdotes veros, & verum Deum
 habeat secum in castris, videant quem successum
 ex inauspicio congressu sperare debeant, cùm nō
 solùm cum mortali manu, ac debili, sed etiam cum
 immortali Deo, qui liberare possit, & sternere
 quoscumque voluerit, dimicandum sit. Dum hanc
 ad populum Abias orationem habuit, Ieroboam
 à tergo per insidias inopinatum, & incautum ag-
 greditur. Adfuit tamen Abiæ imploratus Deus,
 qui ita hostiles fregit animos, vt in fugam verte-
 rit, atque ira conciderit, vt numquam ausus fue-
 rit, neque potuerit Ieroboam quicquam contra
 Abiam hostile tentare.

B 2. Vers. 5. *Num ignoratis quod Dominus Deus Is-*
rael dederit regnum David super Israel in sempiternū
ipſi, & filiis eius in pactum salis.] Tale pactum æter-
 num est, vt communiter & verè sentiunt interpretes, & indicat satis illud Num. c. 18. v. 19. *Pactum*
salis est sempiternum coram Domino. Cur autem per-
 petuitatem pactum à sale capiat, obscurum est.
 Quidam in pacto quod stabile, & magnis de rebus
 fit, sacrificium intercedere putant. Vnde frequens
 tam in Scriptura, quam apud profanos, ferire foedus,
 pactum percutere, & similia. A sacrificiis autem ab-
 esse salem religio cauet, vt liquet ex Leu. c. 2. v. 13.

Gasp. Sanctij Com. in lib. Paralip.

C *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fæderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Vbi salem vides cum fœdere coniungi, quæ mihi explicatio non displiceret. Tu interim aut ride, aut dole Rab. Salomonis, qui magnam apud suos obtinet doctrinæ gloriæ, intolerabile deliriū. Cū enim quereret, cur Deus noluerit separare salē à sacrificio, hanc reperit, immò hāc vigilans somniauit causam. In principio, inquit, mundi ægrè tulerunt inferiores aquæ tanto intervallo, cùm medium obstaret firmamentum, à superioribus separari. Ut ergo Deus illarum dolorem solaretur, & sedaret iram, promisit curaturum se, vt facer esset in tabernaculo aquarum vsus: deinde vt sal, quod ex aqua plerumque concrescit, perpetuus cfset sacrificiorum comes. Et quia sal ex fœdere cū aquis inito sacrificiis adiungitur, ideo putat salem vocari fœderis. Hæc Rab. Salomon, vt refert noſter Cornelius in locum Leu. proximè citatum. Sanè si Rab. Salomon tantum haberet salis, id est, doctrinæ, quantum ad fingendum habet audacia, non malum Scriptura sacra haberet interpretem.

Communis sententia putat ideo perpetuum 3.
 fœdus dici, siue pactum salis, quia id est salis proprium, vt quæ fluxa sunt, & corruptioni obnoxia, à tabe vendicet, & faciat esse diuturna. Experientia enim compertum est, multa corpora, quæ breui soluerentur in saniem, post multos annos adhuc incorrupta seruari: neque cibos, qui falsamente dicuntur, aliter seruari, quam à sale duratos. Pactum

D itaque salis erit pactum æternum, quod ita seruat, vt corrumpatur numquam, numquam odiosū aliquid, atque molestum oleat. Quomodo verò pactum Domini cum Dauidē pactum fuerit salis, id est, perpetuum, vidiimus ſæpe. Vnum pro multis locum accipe lib. 2. Reg. c. 7. v. 13. de Dauidē, & Salomone filio. *Firmabo regnum eius, & stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum.*

Ego aliquid addam accommodatè ad pactum 4.
 cum Dauidē ac Salomone percussum. Constat hoc pactum de regno in Dauidis familia perpetuò esse conditionatum, nempe si Dauidis progenies pactū seruat, Ps. 88. v. 30. Dedit itaque Deus regnum Dauidis domui cum grano salis, nempe si à fide, quæ integrum seruare debuit, non deficiat, aut si ipsa Dauidis progenies salem adhibeat, neque percussum fœdus corrumpi atque tabescere permittat.

CAPVT XIV.

E De hoc capite plurima à nobis explicata sunt 5.
 lib. 3. Reg. c. 15. tantum omissum est ibi bellum, quod princeps Æthiopum Zara intulit Regi Asa; pro quo pugnauit Deus, cuius auxilium implorat Asa. A quo exterriti vehementer fuerunt Æthiopes, & traditi penè constricti Iudeorum manibus, & ad internectionem vsque deleti. Ex quorum finibus ciuitates euersæ plurimæ, inges abaeta præda, & infinita propemodū pecorum multitudo abducta. Porrò hi Æthiopes fuisse videntur non qui trans Ægyptū sunt: inde enim non appetet verisimile tam copiosū exercitum per tot locorū spatia vastissima transmitti potuisse; sed fuisse videntur Æthiopes illi, qui confines sunt, certè non admodum remoti à terra promissionis, qui etiam Madianitæ vocantur. Vnde Sephota Moysis vxor, quæ Madianitis erat, & Sacerdotis Madian filia, Exod. cap. 2. eadem Numer. c. 12. v. 1. Æthiopissa vocatur. Hoc alicui videri posset nō improbabile, sicut mihi aliquando vixum est; verū tamē magis mihi videtur probadū, immo omnino

B B b 2 certum

*Hebreorum
fabula de
sale sacrifi-
ciorum.*

*Pactum Dei
cum Dauidē
conditiona-
tum.*

*Asa victo-
ria de AE-
thiopibus.*

certum, ex Aethiopia sub Aegypto exercitum illū fuisse profectum. Nam aliquando ex Aethiopia illa venisse dicitur exercitus in Iudeam, vel animo animo, ut illi esset auxilio, ut constat lib. 4. Reg. c. 19. & Isai. c. 37. ibi Tharaca Rex Aethiopie, quæ ad Aegyptios pertinet, ut in nostris commentariis ad utrumque locum diximus. Aut animo infenso, quando cum Aegyptiis coniurauit contra Iudeam, ut nuper c. 12. vbi cum Sesac Aegyptio venisse dicuntur contra Roboam Libyes Trogloditæ, & Aethiopes, qui ad aliam Aethiopiam pertinēt, quæ Aegyptio est affinis, & in Africa sita est. Hoc verò tempore cum Aethiopibus quoque venisse Libyes, constat infra ex cap. 16. v. 8. vbi Hannani Propheta grauitet reprehendit Asa, quod ad regem Syriae in casu non dissimili confugisset: quasi non foret auxilium à Domino expectandum magis. Nonne, inquit, Aethiopes & Libyes multo plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum Domini credidisse, tradidit in manu tua? Hic locus in mea me omnino sententia confirmat.

CAPVT XV.

C. Cùm rediisset Asa victor de Aethiope cum ingenti præda, occurrit illi Azarias Propheta filius Obed, commendauitque maiorem in modum diuinæ legis obseruantiam, quæ tuerit regna, & pacem inducit, inductamque conservat. Quod expertum ire dicit Israelem, illas, ut reor, decem tribus, quæ aureos coluerunt vitulos; quæ cùm, abiurata parentum suorum antiqua religione, peregrinis se factis, atque gentilicis implicuerunt, neque pacem habebunt, neque quietem, sed undecimque locorum occurret metus, & insidia: neque cessabunt bella, etiam inter vicinos populos, donec ad Deum reuersi ab illo quietem, & salutem obtineant. De quo tempore loquatur hic Propheta obscurum est, accidisse tamen in utroque populo, aut in utrisque eiusdem populi partibus, satis est notum, aut ante captiuitatem, utriusque partis, aut exilijs tempore, aut etiam captiuitate iam soluta. Sanè in decem tribubus constat ex lib. 4. Reg. c. 13. v. 3. & 4. & 5. vbi cùm Ioachaz angustè premeretur à Syris, deprecatus est faciem Domini, & audiuit eum Dominus, vidi enim angustiam Israel, quia attriverat eos Rex Syria: & dedit Dominus salvatorem Israeli, & liberatus est de manu Regis Syriae, habitaueruntque filii Israel in tabernaculis suis, sicut heri, & nudi usque in. De duabus tribubus multa sunt exempla, quæ nunc omitto. Hæc autem oratio tantum habuit ponderis, ut statim Asa studiosè curaret, ne qua in suo regno essent Gentilicæ superstitionis reliqua vestigia, & oblati sacrificiis renouauit foedus inter Deum, & populum antè percussum; & hortatus est, immo proposito capitali suppicio comminatus, ne quisquam nouam, & peregrinam religionem coleret. Quam vocem omnes acceperunt libenter, neque Deus promissis defuit: nam populus ex eo tempore quietem, & pacem consecutus est. Quomodo vero Asa idola sustulerit, & matrem impia religiosis antistiterit exauthorarit, habes lib. 3. Reg. c. 15.

CAPVT XVI.

V.1. Hæc à nobis exposta sunt lib. 3. Reg. c. 15. vers. 17.

V.2. Et deinde explicata sunt lib. 3. Reg. c. 15. v. 18. 19. 20.

V.7. Vers. 7. Reprehenditur hic grauitas Asa, quod

A ab alienis populis auxiliares sibi copias asciuerit, cùm à Deo maiores sibi conciliare potuerit. Quare noua illi bella Propheta comminatur in posterum. Quod ille adeò tulit impatienter & ægrè, ut Propheram compingi præceperit in neruum: de quo nonnihil lib. 4. Reg. cap. 15. vers. 14. n. 13.

V. 12. Exposuimus hæc lib. 4. Reg. cap. 15. vers. 23.

Vers. 14. Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod 8. foderat sibi in ciuitate David.] Lib. 4. c. 15. n. 15. dictum est nō omnes Reges ex Davidis progenie in Davidis sepulcro fuisse tumulatos, sed in ciuitate separato quodam loco, cuius rei nonnulla adduximus exempla.

B Posueruntque super lectum suum plenum aromatibus 9. & vnguentis meretriciis.] Volutum esse ac penè legitimum, in funere maximè nobilium, ad opprimendum molestum halitum, quem ex se caro exanimata reddit, vngi solere liquore nobili, ac pretioso cadaver, & cum illo pretiosa quoque aromata creari. De utroque exempla occurunt penè innumerata, tam in sacra, quam in profana literatura. Quorum adduximus non pauca lib. 2. Regum c. 8. n. 3. 8.

Cur dicantur vnguenta meretricia, obscurum est, certius est significare quod communiter sonat vox meretricium. Nempe quod meretricium opus est, aut quod meretrices ad conciliandam pulchritudinem, & capiendos stultorum animos adhibere solent; qualis est fucus, fragrantia vnguenta, & quicquid venale reddit corpus aliorum libidini propositum. Quare qui vnguenta redolent, non bene audiunt, quia aut corporis nitori magis student, quod faciunt meretrices, quam morum honestati, aut quia aliquid olenit graue, quod exhalant vlcera, aut intemperies, quam profusa peperit libido, quod vnguentis delibuti meretriciis opprimere volunt. Dixit optimè qui dixit,

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthume semper.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

D Hæc vnguenta & odores grati in grauiter oleum fædiora optimè conueniunt, ut fætorem optimant, & minus molestum reddant mortuorum funus. Neque sanè minus fætent impuri homines, & confecti stupris, qui quasi mortui iam essent, & saniosis vlceribus corrupti, odores adhibent; digni sanè qui conditi laterent in tumulis, ne obuiis quibusque tam essent offensioni.

E Alij absolute dicunt vnguenta illa esse generatim aromaticæ, & deducunt à radice πν Zun, quæ speciem significat, Hieronymus à μν Zanah deduxit, quæ forniciari valet; quod mihi potius est. Pleraque aliæ translationes species ponunt aromaticas, aut quid simile. Sanè de meretrice habemus Prou. c. 7. quæ his verbis ad se adolescentem fatuū pellicere contendit. *Aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo.*

CAPVT XVII.

F Quatuor capita quæ sequuntur, res continent gestas à Iosaphat, de quo in libris Regum actū est quām breuissimè. Neque in illis ego aliquid inuenio adeò impeditum, & implexum, ut lucē requirat ab interprete. In capite hoc ostenditur primū quām Iosaphat contra decem tribus feliciter pugnauerit, quām fuerit in acie superior, quām seculò laborarit, ut ciuitates quādā contra hostiles impe

12. Regis Iosaphat res auct. Spice Deo, præclarè ḡta.

impetus, mœnibus, viris, atque armis munirentur. Cui Deus adfuit in rebus omnibus, ad quas adiecit animum, & manus admouit: id verò consecutus est Iosaphat, quia Deum coluit, & iuxta illius voluntatem, & legem rationes suas, & vitæ modum attemperauit: neque sperauit in alienis diis; sicut aliorum Regum fecere non pauci. Quare Deus illi largitus est diuitias plurimas, & ornamenta regiae domus, & magnam apud omnes obseruantiam & gloriam: ita ut externi populi, & Iudaico populo quondam inimici, suam in Regem obseruantiam oblatis muneribus significarint. Quales fuerunt Palæstini, atque Arabes, quorum illi annum vestigal, illi pecora quibus abundant, quotannis offerebant. Quæ res illi audaciam attulit, vt lucos succideret, & aras euerteret, quas ad impium cultum superiores Reges excitarunt. Addidit præterea, quod Regis optimi præcipuum munus est, vt populum aliorum incuria rudem, & ignarum diuinis informaret legibus. Atque ideo quosdam viros principes, & cum illis Leuitas in varias regni partes dimisit, qui ciuitates obirent, & pietatem, quam possent maximè, promouerent. Neque curam ideo abiecit muniendi, atque defendendi regni, cum viros elegerit strenuos, atque robustos, quos rei præfecit bellicæ, quorum ad extremum nomen audimus.

Regis Iosaphat in publicis salutem cura.

CAPVT XVIII.

Hoc caput expositum lib. 3. Reg. c. 22.

CAPVT XIX.

Iosaphat iudicibus leges prescribit.

13. Mortuo Achab rediit Iosaphat in Ierusalem, cui occurrit Iehu filius Hanani, reprehenditque grauiter, quod impio Regi Achab socium se, & auxiliatorem præbuisset. Acturum tamen Deum cum illo remissius, quia ipsius præcessissent opera, quæ ipsum à supplicio vendicarant. Iosaphat ergo eo bello vrcumque defunctus èd incubuit, vt sicut antea fecerat, rem sacram, & publicam constitueret, & populum vniuersum ad antiquam religionem, & fidem reuocare contèdit. Constituit enim iudices in omnibus ciuitatibus, & iudicandi formam accuratè præscripsit. Quibus edixit vt vnam in omnibus Deum intueretur, cuius in eo munere præstanto personam sustinherent. Quod idem fecit in Ierusalem, vbi iudices etiam constituit ex ordine leuitico, sacerdotali, & laico, quibus idem, quod aliis, serio commendauit: & quam tenere debeant in iudicando rationem edocuit.

CAPVT XX.

14. Sub id tempus graue coortum est bellum contra Iosaphat à vicinis populis, qui coniunctis viribus in illum conspirarunt. Hi autem fuerunt ex his, qui ultra mare mortuum habitabant, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, &c., vt putant Hebræi Amalecitiæ, qui iidem esse existimantur, qui v. i. Ammonitæ dicuntur. Lyra in Ammonitis intelligit Idumæos, qui ideo putat Ammonitas vocari, quia sub Ammonitarum signis militabant, & eorum gestabant insignia. Septuaginta quidem non Ammonitas, sed Amanitas legunt, quibus etiæ Syri societatem inierūt. Quod cum accepisset Iosaphat, timore perterritus à Deo petendum auxilium existimauit. quare indixit publicè orationem, & ieiunium, quod omnes accepere non grauare, cùmque ex omnibus ciuitatibus magna hominum multi-

Gasp. Sanctij Com. in lib. Paralip.

A tudo conueniret, stetit Iosaphat in illorum medio ad atrium nouum, vbi orationem ad Deum habuit longam, & ardentem ad versum usque 13, quæ quia difficultatis nihil habet, nullam à nobis operam desiderat. Atrium porro nouum, de quo v. 5. quid 15.

Oratio, & ieiunium optima contra hostes preparatio.

sit, ipsi quoque Hebræi ignorare se dicunt, vt ait Varablus. Lyra atrium putat appellari nouum, quia renouatum, id est, purificatum est. Nam forte locum illum superiores Reges polluerant, & à Iosaphat, aut ab aliis, quibus aliqua de religione, & tépli sanctitate cura fuit, sanctificatum est. Alij appendicem esse credunt nouam additam templo, & ideo templum appellatam, quæ templum ita laxauit, vt tantam multitudinem, quæ ex ciuitatibus aliis orationis gratia conuenit, capere potuerit. Sic illi diuinari. Ego quid hic dicam, nisi diuinando, nihil habeo; dico tamen videri mihi non improbare atrium nouum vocari illud Musach, quod l. 4. Reg. c. 16. v. 18. ædificauit Achaz. Quod, vt ibi diximus, locus erat, vbi Reges sedere consueuerant: & in quo verisimile est consedisse Iosaphat, qui cum proximus esset sacerdotali atrio, & è regione vestibuli domus Dei, locus erat accommodatus orationi. Neque obstat quod illud REGVLÆ. Musach longè post hæc tempora fuerit ædificatum, nam quædam interdum per prolepsim ante suum tempus facta, aut nominata dicuntur, quia licet tale nomen non habuerint, quo tempore res accedit, habuere tamen, quo tempore ab historicō narrantur, vt pluribus ostendimus lib. 1. Reg. C cap. 4. vers. 1. Quasi dicat historicus sacer, stetit Rex in eo loco, qui nostra estate vocatus est atrium nouum, ex quo ibi ab Achaz ædificatum est Musach.

Vers. 13. *Omnis verò Iuda stabat coram Domino, 16.*

cum parvulis.] Cùm grauis aliqua calamitas ingrueret, consueuerunt Hebræi, quod etiam non nunquam fecere Gentiles, adhibere ad preces infantium vagitus, quibus putabant placatum iri diuinam offenditionem. Sic Judith c. 4. v. 8. Bethulæ ciues, humiliauerunt animas suas, in ieiuniis, & orationibus, induerunt se ciliciis, infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini. Quod fuisse visitatum, & quasi legitimum Iudæis, docet illud Ioelis c. 2. v.

Infantes ad publicas preces, & planetum adhiberi soliti.

16. *Coadunate senes, congregate parvulos, & fugentes ubera, &c.* vide quæ nos ad hunc locum pluribus. Sic sanè Niniuitæ ad prædicationem Ionæ infantes suos continuerunt à lacte: quod licet Scriptura non doceat, dicunt tamen verisimiliter Sancti. Ita Basilius hom. 8. in auaros de Niniuitis. Infantes vicissim esurientes, & sitiientes vehementissimo emulati proprie rumpebantur. Ambrosius serm. 40. de Niniuitis. In tali, inquit, deuotione etiam infantia militare compellitur, pietas enim esse creditur in tali causa parvulis quoque substantiæ denegare, non enim sufficeret ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parvolorum innocentia deploraret.

Vers. 14. *Erat autem Iahziel filius Zacharie, 17.*

&c.] Ex media orantium turba diuinus afflavit spiritus Iahzielem, qui omnes bene sperare iussit in illo rerum difficili cõflictu: quibus victoriæ promittit sine sudore, ac sanguine concessam à Domino diuinitus. Quid facturi sint edocet, cuius consiliū accepit Rex lubens, & reliqui de populo. Cùmque ad locum à Propheta demonstratum ventum esset, hortatus est Rex omnes vt spem omnem suam locarent in Domino, & solemniter que legitimo cantico, quod in gratiarum actione cantari assolet, anticiparent victoriam. Canticum porro erat. *Confitemini Domino, quoniam in eternum misericordia eius.* De quo lib. 1. Reg. c. 16.

Bellum ab oratione & diuinis laudibus inchoandū.

BBB b 3 Vers. 22.

78. Vers. 22. Cūmque capissent laudes canere , vertū A Dominus insidiās eorum in se metipos.] Pugnabat populus orando, atque laudando Deum , Deus interim illius caulam agebat, sternebatque inimica casta, non secus atque olim orante Moysē, Exod. c. 17. vincebat Israhel ; oratione autem intermissa Amalecitarum acies erat superior. Vicit igitur Iosaphat non suo , sed hostili gladio , quem in cognata , ac foederata viscera adegerunt coniurati populi, qui mutuis se confecere vulneribus. Quotruin spoliis ditati Iudei , gloriosi redierunt in patriam, ybi dies egerunt geniales, & latoꝝ. Reliqua ad finem capitū satis sunt expedita, neque est cur in illis explicandis laboremus.

V.35. De hac Iosaphat cum Ochozia Rege Israhel societate , & de classe comparata in Asiongaber, dictum est lib.3 Reg.c.22.v.49.

CAPVT XXI.

Totum hoc caput expositum est lib.4. Reg.c.8. à versu 16.

V.12. Hæc exposita sunt lib.4. Reg.c.2.n.25.

CAPVT XXII.

Huius capitū explicationem habes lib.4. Reg.c.8. à versu 24.

V.10. De hoc lib.4. Reg.c.11.v.1.

CAPVT XXIII.

Hoc caput exposuimus lib.4. Reg.c.11.

CAPVT XXIV.

Hoc caput explicatum habes lib.4. Reg.c.12.

CAPVT XXV.

Torūm hoc caput expositum est lib.4. Reg.c.14.

CAPVT XXVI.

Totum hoc caput expositum est lib.4. Reg.c.15.

CAPVT XXVII.

Expositum est lib.4. Reg.c.15. à versu 32.

CAPVT XXVIII.

Huius expositionem habes lib.4. Reg.c.16.

CAPVT XXIX. XXX. XXXI.

A Tria hæc capita , quæ obscura non sunt, explicuimus lib.4. Reg. c.18. quod si quid à nobis ibi prætermissum est, vtque adeò expeditum est, vt interpretis non desideret operam.

CAPVT XXXII.

Huius capitū expositio est in lib.4. Reg. c.18. à v. 13. & c.19. & c.20.

CAPVT XXXIII.

Hoc explicatum est lib.4. Reg.c.21.

CAPVT XXXIV.

Explicationem habes lib.4. Reg.c.22. & 23.

CAPVT XXXV.

Expositum est hoc caput lib.4. Reg.c.23. à v.21. & v.20. lib.4. Reg.c.23. v.29.

CAPVT XXXVI.

V.1. Expositum est lib.4. Reg.23.v.31.

V.6. Expositum lib.4. Reg.c.24.v.1.

V.10. Expositum est lib.4. Reg.c.24. à v.17. & c. 25. Vbi traditur Sedeciæ supplicium, & vrbis templique destructio.

V.22. Dixerat Ieremias c.25.v.12. exactis septuaginta annis, ex quo à Babylonis captiuī abdueti fuerint filij Iuda, vastandam esse Babylonem, & in patriam reddituros esse captiuos: quod impletum est sicut à Ieremia fuerat prædictum. Cūm ergo Cyrus Rex Persarum Chaldaeorum Imperium transtulisset ad Persas , didicissetque datos sibi à Iudeorum Deo tam felices illos rerum euentus, quotquot in suis regnis ex Iudeorum Gente forent extores , edicto publico facultatem fecit remigrandi in patrios fines , & instaurandæ ciuitatis, & templi. Neque solùm exire permisit ab exilio, sed etiam curauit , vt in redditu ab omni leuaret itineris molestia, & liberali manu , & contulerit ipse , & ab aliis præstari præceperit , quicquid ad tantum opus esset necessarium : vt magis constat ex lib.1. Esdræ c.1. cuius idem est principium, quod fuit libri 2. Paralipomenon exitus. Hic finis est huius in libros Regum supplementi ad gloriā Dei, & B. Virginis, & sanctorum Patrum, S. Ignatij, & S. Francisci Xauerij , qui hoc ipso tempore à Sanctissimo D. Gregorio X V. in Sanctorum numerum relati sunt. Quicquid autem à me tam in his, quam aliis commentariis scriptum est, fueritve deinceps, Ecclesiæ sanctæ, & doctorum censuꝝ iterum, atque iterum lubens subiicio.

19.
Cyrin Iu-
daos libera-
litas.

Absoluta hæc sunt Compluti anno Domini 1622. tertio Kalend. Aprilis.

INDEX



INDEX RERUM, ET VERBORVM, QVÆ IN HIS REGVM COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Prior numerus columnam, posterior marginalem eiusdem columnæ numerum, littera vero numerum
subsequens, sententiam sub numero comprehensam denotat.

A

A	, & ab comparationem significant.	898.49.c
<i>Aaron.</i>	in Aaroneum quām Deus liberalis.	74.b
Aaronis virga in arca fuisse videtur ante templum Salomonis.	1081.21.d	
<i>Abela.</i>	Abelæ ciuitatis merita.	817.20.c
Abela bonorum ingeniorum ferax, aut litteratum altrix.	ibid.19.a	
de Abelana fœmina fabula Hebræorum.	818.22.b	
<i>Abiathar.</i>	Abiathar, & Achimelec binomij.	410.24.c.658.26.d
<i>Abigail.</i>	Abigail Dauidem placat.	462.44.b
Abigail munera offert Daudi.	453.13.e	
Abigail ad Dauidem oratio.	456.22.a	
Abigail nubit Daudi.	467.63.c	
<i>Abiicio.</i>	Qui magis etiam Domino se abiicit, magis est honoratus.	627.b
<i>Ablattatio.</i>	Ablattationis quot modi.	35.68.d
<i>Abnegatio.</i>	Abnegationis symbolum.	135.24.c
de Abner morte Hebræorum fabula.	573.22.d	
Ex parte tantum Abner duodecim videntur cecidisse.	558.a	
<i>Abraham.</i>	Abraham cur dictus mortuus, cum viueret.	161.38.b
Abrahæ sacrificij apud Deum quām grata, potensque memoria.	922.57.a	
<i>Absalom.</i>	Absalom mira species.	740.30.c
Absalom capilli quales.	741.33.b	
Absalom sui nominis monumentum excitat.	791.23.e	
Absalom an filios suscepit?	792.24.b	
de Absalom morte quid Chrysostomus senserit.	789.17.c	
an Absalom suspensus ex crinibus, an inserto capite inter ramos arboris.	790.18.a	
Absalom peccatum quomodo punitum.	787.11.d	

Absalom aliquam speciem regiam ostendit.	747.3.e
Absalom ex capillis, mirum est potuisse suspendi.	787.12.c
Absalomis, Dauidisque discrimin ex Chrysostomo.	784.3.d
Absalom cur tanto studio populus adhaeserit.	751.13.d
Absalomis quanta improbitas.	768.17.b
<i>Abstineo.</i>	
Abstinendum aliquando à coniugis usu.	33.61.c
<i>Accumbere.</i>	
Accumbere mensis Hebraei soliti à temporibus Ägyptiis.	396.20.d
<i>Acclamatio.</i>	
Acclamatio gratulatoria in constituendo Rege.	194.8.d
<i>Achab.</i>	
Achab ab uxore Iezabele seductus.	1118.16.d
In ea tantum regione, quæ suberat Achab, famæ exorta.	1233.25.a
Cur Eliam queri iussert?	1247.9.e
Achab Regi dura prædicti Propheta percussus.	1300.37.e
Quantum Achab peccatum in dimittendo Benadab.	1301.38.a
Achab Prophetam in vincula coniicit.	1302.42.b
Achab conscient, & particeps mortis Naboth.	1311.18.a
Achab sicut vile mancipium Iezabeli venditus.	1313.24.e
Quomodo impleta in Achab, quæ minatus est Elias.	1315.29.a
Eius pœnitentiam non fuisse veram, probabile est.	1316.35.c
Probabilis est, fuisse veram.	1317.37.a
<i>Achaz.</i>	
Variæ sententiæ de umbra in horologio Achaz.	1595.8.d
Probabile est in umbra solum; non in sole, factam esse mutationem.	1596.12.d
Probabilis est retrò solem fuisse conuersum.	1598.19.b
De funere Achaz fabula Hebræorum.	1599.26.d
Achaz quomodo filios igne lustravit.	1539.4.b
Achaz multis modis ab Assyriis afflictus.	1540.8.b
Achaz mercede hostem sibi, & dominum emit.	1546.a

INDEX RERUM,

Acluz altare more excitat gentilico.	ibid. 26.c	Altare transfiliebant Sacerdotes Gentiles non sacrificando.	1251.20.e
Actio pro suo effectu, aut obiecto ponitur.	949.3.d	Ab altari Sacerdotes sustentantur.	1626.12.e
Actio aliqua celebris, & nota pro tempore, ac loco sumitur, in quo exercetur.	828.15.b	Amasias.	
Actio alicui rei familiaris pro illa ponitur.	436.8.c	Amasias victoria de Idumæis.	1506.4.b
Actus secundus pro primo.	982.34.d	Amasias principio pius; ad extremum impius, & miser.	1508.2
Achimelec.		Amasias perniciosa fœlicitas.	1509.a
Achimelec, & Abiathar binomij.	410.24.c & 658.26.d	Ambitio.	
Acrostichus.		Ambitio pacem, & lœtiam turbat.	808.29.d
Ex Acrostichis, id est, initialibus literis vox componi solita, quæ multarum instar est.	764.a	Ambitionis vis, & tyrannis.	1120.21.d
Achitophel.		Ambitionis optima descriptio.	1307.7.e
Achitophel cur laqueum elegerit.	777.15.b	Ambitio, est furor cœcus, & præceps.	1347.a
Achitophelis quale consilium.	766.14.d	Ambitiosus, & auarus vix à dolore vacuus.	1307.5.a
Achitophelis consilium dissipatum.	772.3.e	Ambitiosus ex rebus exiguis ingens dolor.	ibid.b
Adad.		Ambitiosus miser.	ibid.7.e
Adad Idumæus Salomonis hostis.	1152.a	Aman.	
Adamus.		Aman ex genere Agag.	314.73.b
Adamus Salomone sapientior.	985.42.d	Amalec.	
De Adamo fabula Hebræorum.	637.19.d	Amalec quod peccatum.	289.8.e
Adeodatus.		De peccato Amalec Hebræorum fabula.	290.a
Adeodatus, qui dicitur, non est Dauid.	832.27.e	Amalec ex genere Idumæorum.	288.b
Adeodatus quis?	834.e	Amalec peccatum, quod Deus per Saul punire voluit.	287.2
Adeps.		Amalecite.	
Adeps ex victimâ debetur Deo.	61.51.e	Amalecita mentitus cùm dixit, à se Saulem interfectum.	518.6.c
Adonias.		Amalecitarum, seu Idumæorum odium in Israëlitas.	290.9.b
Adonias cur ad aram confugit.	944.a	Amonita.	
Cur sibi Sunamitidis nuptias ambierit.	957.29.e	Amonitæ, & Syri vieti.	672.15.c
Adoro.		Amor.	
Adoro idem sæpè, quod reuereor.	400.31.d	Amoris veri exemplum in Ionatha.	361.1.a
Adorare quid.	934.21.e	Amoris vis, & natura.	ibid.2.b
Adhuc cum epitasi.	51.21.c	Amor verus in amatum liberalis.	362.4.c
Adulterium.		Amor immoderatus, & turpis sæpe mutatur in odium.	721.8.e
Adulterij pœna lapidatio.	1442.15.c	Amor patriæ magnus, & earum rerum, quibus olim assueuimus.	901.60.d
Aduran.		Amoris turpis tyrannica potentia.	719.2.b
Aduran occisus à populo.	1167.20.d	Ex amore morbus.	ibid.c
Æditui.		His, quos amamus, meliora interdum optamus, quam nobis præcipue filii.	942.46.a
Æditui qui.	1626.12.e	Pro amoris officiis charitas, seu dilectio.	975.15.c
Ægypti.		Amor ad indecoram, & duram seruitutem adigit amanteum.	1144.8.d
Ludibrii genus Ægyptiis visitatum.	1298.30.e	Amoris signum labia in osculi speciem conformata.	1281.60.d
Ægyptius Rex ab Affyrio multatus.	1643.14.b	Amore alicuius rei captus efficitur eiusdem seruus.	1313.23.c
Ætas.		Amicitia.	
Ætas non tam ex annis, quam ex qualitate, aut meritis solet computari.	345.27.b	Amicitia malorum noxia.	720.4.c
Qui ætate parentum immatura sunt geniti, aut debili sunt corpore, aut ingenio tardo.	1162.d	in Amicitia visitatum dare manum.	1473.12.c
Æternum.		Amicus.	
Æternum, & similia nihil addunt interdum præter epitasis.	574.24.b	in Amicis vna, eadémque anima in multis corporibus.	361.2.c
Æthiopia.		Amici apud Hebræos osculo excepti, atque dimissi.	1284.67.a
Æthiopiæ Reginis Candace fuit nomen commune.	1115.2.b	Amorrhæi.	
Æthiopia duplex.	1582.9.a	Amorrhæi pro habitatoribus antiquis terræ promissionis.	160.36.c
Victoria Assa de Æthiopibus.	1686.5	Amos.	
Agag.		Amos Propheta non fuit pater Isaïæ.	1579.2.c
De Agag, & Saul fabula Hebræorum.	314.74.d	Ana.	
Aia.		Anæ mira patientia.	28.46.d
Aia vaticinium ad Salomonem, & Ieroboam.	1156.39.d	Anathema.	
Almoni.		Anathematum varia genera.	290.10.b
Almoni, & Pheloni quid: vnde vox Hispanica fulano.	405.5.c	Anathemata, & execrationes timere debent etiam innocentes.	275.36.d
Altare.		Angelus.	
Altaris cornu quid.	944.53.a		
Altare excelsa significant.	978.a		
Altare thymiamatis non idem in tabernaculo, & templo Salomonis.	1065.44.c		

E T V E R B O R V M.

Angelus.

Angelo similis esse dicitur, qui in aliqua re ex-	
cellit.	739.28.c
Angelus aliquando vir dictus.	73.a
Per Angelos quæ Dei apparitiones dicantur fa-	
ctæ.	981.31.d
Angeli Dei nomine, & in eius persona sæpè locu-	
ti.	ibid.
Dei per Angelos apparitiones.	1269.19.c
Angelorum custodia.	1419.7.c

Anima.

Animam in manu sua ponere, quid.	497.41.c
Animæ à Magis euocatæ obscuræ, & tristes.	495.
35.e	
Animæ pro desiderio.	391.a
Animæ quomodo ad Dei familiaritatem dispona-	
tur.	1272.30.d
Animarum cura magnum, & molestum opus.	
1398.24.e	
Quæ ad animæ pertinent salutem, magno in ho-	
nore habenda.	1618.12.d

Animalia.

Animalia eadem in specie pro regnorum varietate	
varia.	906.75.c

Animus.

Quicunque animi motus spiritus dicitur.	1581.
7.b	
Animum sapientis humiliat ea cogitatio, quod	
aliquando sibi in seipso placuerit.	1600.29.e
Angustos animos felicitas immoderata inflat, &	
fultos reddit.	1508.11.b
Quando animus est elatus, non esse deliberan-	
dum, hortatur Cato.	ibid.d
Donec animus deferuerat, non deliberandum.	
ibid.12.	

Ante.

Ante Deum iuramenti forma.	626.64.d
Annulus signatorius.	

Annulus signatorius.

Annuli signatorij authoritas, & custodia.	1309.
13.c	

Annis.

Annos decem duntaxat natus puer feminam	
grauidam fecit.	974.12.b
Quod primis annis discitur, æternum est.	1164.
9.c	

Antemurale.

In templo quid antemurale, seu murus forinsecus.	
1480.9.e	

Apparatus.

Apparatus quis in traductione arcæ.	619.37.b

Apostolicus.

Quomodo vir Apostolicus peccatoris animam	
ad gratiam beat disponere.	1272.a
Apostolici viri signa.	ibid.29
in Apostolico viro laudandus spiritus ardoris.	
1275.a	
Apostolicus vir his, quibuscum agit, accommoda-	
re se debet.	ibid.40.e
Apostolicus vir vento similis : item fabro, aut	
sculptori.	ibid.43.44.c,d
Apostolici viri symbolum.	1371.a
Apostolici doctoris munus.	1393.8.e
Apostolici viri doctrina qualis.	1394.a
Apostolico viro quale aptum instrumentum.	
1417.3.d	

Apostolus.

Apostoli diuerso spiritu, ac Elias ignem de cælo	
petunt.	1346.21.b

Apparitio.

Apparitiones, quæ dicuntur Dei per Angelos fa-	
ctæ.	981.31.c

Angelus.

Aqua.

Aqua pluiales tela sunt Dei.	862.37.b
Aqua non offertur in sacrificiis.	154.20.d
ex Aqua nihil in vase manet; secus ex aliis liquo-	
ribus.	155.22.b
Aqua pro regione.	902.62.c
de Aqua desiderata à Dauid fabula Hebræorum.	
900.57.d	
Aqua cur à Samuele in sacrificiis effusa.	153.b
de hac Aqua quid Hebrei fabulentur.	153.b
in Aqua, & pane, omne esculentum, & poculen-	
tum intelligitur.	473.5.b
Aqua pedum, & aqua capitis.	1576.37.b
Aqua cur pretio venales.	1584.a
Aquam fundere lauandis manibus opus seruile.	
1378.8.	

Aquila.

Aquila velocitas proverialis.	545.40.d

Arbor.

in Arboribus incisa nomina.	39.77.b

Ara.

ad Aram cur Adonias confugit.	944.a

Arabia.

Arabia aromatum, & metallorum ferax.	1116.
6.d	

Arapha.

Arapha non est Orpha.	835.37.d

Arca.

Arcam nudam videre non licebat.	143.50.e

Arca videtur à Bethsamitis referata.	144.51.c

Arca domus cur non ædificata ante Dauidis	
tempus.	635.10.a

Arca aliquando educta ex tabernaculo.	149.4.c

Arca restituta, probabile est, cessasse Palæstinorum	
plagam.	140.42.d

Arca aliquando ad acriem producta.	271.22.c

Arcam nudam tangere non licebat Leuitis.	613.a

Arca cur gloria Israël.	109.18.b

Arca cur in eodem loco posita cum Dagone.	114.
6.a	

Arca aliquando in agro Palæstino.	127.1.c

Arca quo tempore capti.	ibid.2.e

in Arcæ traductione nullus defessus, quamvis la-	
bôr maximus.	1076.6.d

in Arca videntur fuisse ante templum Salomonis	
vrna, & virga Aaronis.	1081.21.d

Arcana.

Arcana canere quid.	621.44.a

Arcus.

Arcus pro omni armorum genere.	536.16.e

Arena.

in Arena multitudo significatur.	774.b

Ariolator.

Ariolatur, qui ab alio quām à Deo, vel superiore	
responsum quærit.	302.42.d

Arma.

Arma inscribi solita.	348.a

Arma Saulis an apta Dauidis corpori.	346.30.c

Asa.

Tempore Asa regnant sex Reges

I D E X R E R V M,

Duo Asinorum genera.	1009.17.c	Cur dictus Princeps Dæmoniorum.	ibid.6.e
Asini quæ sepultura.	1642.9.b	Beethsabe.	
<i>Astaroth.</i>		Beethsabe quomodo sanctificata post concubitu-	
Astaroth quis.	1146.13.b	tum.	695.14.c
